



AB
37 $\frac{13}{118}$



00 Nr.

00
see

ms. = 00 Nr.

M-0 453

Lib. grat. & antiquor.

in Quarto
N. 24.

II 1 a 24.

Faint, illegible handwriting, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Reverendissimo ac Illustrissimo
Principi ac Domino, Domino Henric
co Inilio, Antistiti Halberstadensi,
Dñci Brunonicensi et Lüne
burgensi, Domino suo clementissimo.

OBSERVATIO-
NES ORATORIAE, AD
CICERONIS DILATATAM COPI-
am repertæ, & exemplis adiectis
imitationis, in dicendi usum civilem &
ecclesiasticum illustra-
tæ.

Autore

HARTVICO SMIDESTETO LV-
neburgensi, Oratoria in Julia Academia
professore.



HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XCIII.

CATALOGVS OBSERVATIONVM.

Forma oratoria.

Refutandi.

Loci communis

Argumenti ab honesto

Argumenti ab utili

Argumenti ab honesto in cōparatione } Tractandi.

Argumenti à Difficultate in compa-
ratione }

Argumenti à causa efficiente }

Enthymematis dilatandi.

Definiendi.




HB. 37 $\frac{13}{K8}$

257



AMPLISSIMIS VIRIS,
SPLENDORE FAMILIAE, PRVDEN-
TIA, AVTORITATE, ERVDITIONE, ET VIR-
tute præstantibus, Consulibus & Senatoribus in-
clytæ vr̄bis Luneburgæ, Dominis, fautoribus
& Meccœnatibus suis reuerenter
colendis.

 Amplissimi viri Domini Prudentissimi. Sunt permulti, ex dicendi amplissimæ artis contemptoribus, qui eloquentiæ arcem oppugnantes, rem maximè in ea admirabilem, augustam ipsam Oratorum sub continuato membrorum ductu observationem, superbissimè deformare & vellicare conantur. Hi enim cum penè rationibus eucti, de professionis magnitudine & difficultate, intelligant indubitato, ad prognerandas orationis diuitias iustas, naturam & artem communem haudquaquam sufficere, sed accuratam planè & singularem rhetorum in membris penè continuandis singulis observationem ubiq; necessariam esse, ne quid hic ipsi, in parte vlla speciosi, arti nobilissimæ relinquunt, & velut amplitudine propria nudati, professionis inprimis suæ iacturam faciunt, Oratorum limatam & amplam, copiosam & fusam, generosam & continuatam hanc observationem temerè insectantur, & magis fastuosam illam, adeoq; in totum etiam superstitiosam mendacissimè criminantur. Rident scilicet illi amentiam nostram, qui in dicendo, rationem summam & admirabilem desideremus, & obseruata magnorum Oratorum requiramus. Quid vero inquit nobis cum ista summa diligentia, Procreabit orationem nobis lex Rhetorum deprehensa, sanctio omnium vulgata, generalis documentorum idea. Fortentata hac ipsa amplificata & continuata orationis forma, qua
A 3 ductum

P R A E F A T I O.

ductum membrorum copiosum & aequabilem consecratur, ne ab ipso quidem Cicerone, Oratorum antesignano & principe ullibi obseruata fuit. Equidem ut quod sentio dicam, grauiter hoc me superbientium clamore percelli, quo omni penè dignitatis ratione eloquentiae ampla spoliatur professio, ingenuè ac verè profiteor. Verum illi sententiam hanc de Cicerone suam ubi legerunt, ut audacter & impudenter de eo, qui obseruata omni veterum forma, vim argumentorum ipsam à Demosthene, copiam à Platone, suauitatem ab Isocrate mutuabatur, testatum audeant facere, ipsum tantum Oratorem, naturae temerarium ductum, & vulgatum communissima artis cursum ubiq; secutum, in structura etiam partium speciali & accurata, sine mente velut membra compilasse, sententias iunxisse, & Orationis continuata ac fusa seriem effudisse? Ipse Cicero quanto studio aequabilitatem obseruauit, emulatus eam in partibus non solum orationis generalibus & vulgatis, sed in ipsis quoq; argumentorum verioribus formis, & diuersissimis amplificationum figuris, etiam ut assensionibus ordinis vniuersi Oratorum, una hac laudis parte ceteris praelatus, longissimè solus ipse eminere videatur? Itaq; idem Cicero, quoties cum quid ab eo fuse & eloquenter dictum est, (ne quid hic temere à se congestum ad motum atq; copiam ipsam videatur) praeter argumenta, ipsas nonnunquam insertas argumentis amplificationes repetit? solum ut quam inexplicabili studio, harum tractationes, & continuatas membrorum in ijs formas consecratus sit, documento ipse uiuo, & perorantibus ad oculos proposito demonstraret. Atq; ut pleriq; omissis locis alijs, exemplum solum rei huius unicum proferamus, quis ignorat cum P. Quintij causa agenda ipsi esset, quam tum eloquentissimè ipse, maiori omnia conamine, contra Hortensium temporis illius Oratorem disertissimum perorauit? Verum nihil hic fermè vspiciam dictum, consequenter tractatum, membris & clausulis elongatum, quod memoriam Oratoris fugiat, & quod non refricatum quasi, in postrema Orationis parte, ipsa sua continuitate desideat. Hoc dico

P R A E F A T I O .

dico inquit (repetamus enim contra profligatores observationis huius
 auguste & ampla locum Ciceronis ex ipso Cicerone totum) Hoc dico
 inquit, Neuium ne appellasse quidem Quintium, cum simul esset, ex-
 periri posset quotidie: Deinde quod omnia iudicia difficillima cum
 summa sua inuidia maximoque periculo P. Quintij fieri mallet, quam
 illud pecuniarium iudicium quod uno die transigi posset: ex quo uno
 haec omnia nata & perfecta esse concedit. Quo in loco conditionem
 tuli, si vellet pecuniam petere, P. Quintium iudicatum solui satis
 daturum. Dum ipse si quid peteret, pari conditione vteretur. Osten-
 di quam multa antefieri conuenerit, quam hominis propinqui bona
 possideri postularentur: Praesertim cum Roma domus eius, uxor libe-
 ri essent, & procurator, aequae utrisque necessarius. Docui cum deser-
 tum esse dicat vadimonium, omnino vadimonium nullum fuisse. Quo
 die hunc sibi promississe dicat, eo die ne Roma quidem eum fuisse. Id
 testibus pollicitus sum planum me facturum, quod & scire deberent;
 & causam cur mentirentur non haberent. Ex edicto autem non po-
 tuisse bona possideri demonstraui; quod neque fraudandi causa latita-
 set, neque exilij causa solum vertisse diceretur. Reliquum est ut eum
 nemo iudicio defenderit, quod contra copiosissime defensum esse con-
 tendi, non ab homine alieno neque ab aliquo calumniatore atque impro-
 bo, sed ab Equite Ro. propinquo & necessario suo, quem ipse Sex. Ne-
 uius procuratorem relinquere antea consuesset, neque eum si Tribunos
 appellarit, iccirco minus iudicio pati paratum fuisse. Neque potentia
 procuratoris Neuius ius ereptum. Contra istum potentia sua tum tan-
 tummodo superiorem fuisse, Nunc nobis vix respirandi potestatem
 dare. Quasiui quae causa fuisset, cur bona non venissent, cum ex edi-
 cto possiderentur. Deinde illud quoque requisui, qua ratione ex tot cre-
 ditoribus nemo neque tum idem fecerit, neque nunc contradicat, omnesque
 pro P. Quintio pugnent, praesertim cum in tali iudicio testimonia cre-
 ditorum existimentur ad rem maximè pertinere. Postea sum usus ad-
 uersarij testimonio qui sibi eum nuper edidit socium, quem quomodo

P R A E F A T I O.

nunc intendit, ne in viuorum quidem numero tum demonstrat fuisse. Tum illam incredibilem celeritatem seu potius audaciam protuli. Cōfirmari necesse esse aut biduo, DCC. milia passuum esse decursa, aut Sex. Neuium diebus compluribus ante in possessionem misisse, quam postulare ut eius liceret bona possidere. Postea recitavi edictū, quod aperte dominum de praedio detrudi vetaret, in quo constitit Neuium ex edicto non possedisse: cum confiteretur ex praedio vi detrusum esse Quintium. Omnia autem bona possessa non esse constitui, quod bonorum possessio spectetur non in aliqua parte, sed in vniuersis quae teneri ac possideri possint. Dixi Romae domum fuisse, quo iste ne aspirarit quidem, seruos complures ex quibus iste possederit neminem, ne attingeret quidem. Vnum fuisse quem attingere conatus sit, prohibitum fuisse, quicquid. In ipsa Gallia cognostis in praedia priuata Quintij Sex. Neuium non venisse. Denique ex hoc ipso saltu quem per vim expulso socio possedit, seruos priuatos Quintij omnes eiectos esse. Ex quo & ex ceteris dictis factis cogitatisque Sex. Neuij quibus potest intelligere istū nihil aliud egisse, neque nunc agere, nisi uti per vim per iniuriam per iniquitatem iudicij totum agrum qui communis est suum facere possit. Atque haec Cicero, demonstrans velut digito, non quidem argumenti nomen & appellationem, sed huius obseruatam tractationem ac seriem, non putamen quasi huius & corticem, sed nucleum ipsum & quesitam ac tentatam à sese amplificationem. Omnino enim animaduertendum, ubi orationis argumentum & praesidium, natura magis impetu funditur, quam arte & obseruatione regitur, ordinem hac parte omnem turbari, membra confundi, sententias diuelli, & quabilitatem tolli, & dissona omnia, ipsa re & argumento discrepantia aggregari atque iungi. Natura enim quod non excolit, fortuitum & temerarium habet. Quo nihil in progenerata ratione certa orationis copia turpius. Nam aggregata promiscuè ex membris incidentibus oratio, non minus cohaeret ipsa, quam psalterium concordat cum cythara, in quo pes aliud, aliud cythara sonat. Quamobrem ut cum
 Quinti-

P R A E F A T I O.

Quintiliano loquamur, non videntur mihi errare illi, qui ipsam rerum naturam constare quodam ordine putauerunt, quo confuso ac interrupto, omnia facile peritura essent: Ita oratio, in ipsa quoque effusa quasi copia sua, carens virtute illa, tumultuetur necesse est, & sine recto refluitet, nec sibi cohaereat, multa repetat, multa transeat, sicut nocte in locis ignotis errans, nec initio nec sine proposito, casum potius quam consilium sequi solet. Equidem permulta sunt (ne quod est verum diffiteamur) quae sicut in studiorum generibus omnibus, ita in hac maxime arte scrupulosius multo, etas vetus admirata fuit. Et nostra etate Ciceronis simij extiterunt non pauci, qui numeris obseruatis, & voculis, tropis, formulis ac clausulis hinc atque inde corrogatis, summam tantum cutem, seu bracteam potius Ciceronis, perorantibus exhibuerunt. Putidum profecto imitatorum genus, per quos in iocum nonnunquam & fabulam vocamur, dum ex stultitia plane illorum existimamur. Nam abiecta omnino Orationis magnificentia vera, quae in parte elocutionis praecipua, Amplificatione intellige ipsa, & subsecutione membrorum continuata consumi solet, primos solum illi, & minus augustos eloquentiae fontes reserant, & de vocula una atque altera, penè ad superstitionem occupati, in minutis rei dicenda ipsis, totos sese dies fatigant ac macerant: quasi vero dicendi fastigium, ad turbidam ipsam permouendi rationem directum, leptologij grammaticis finiretur, & sola latinitate, nullo vero alio sermonis, aut linguae alterius genere expediretur. Ridiculum est in parte minima, eloquentiae amplitudinem affectare, & quam protrudit vim, sententiarum ac rerum aggregata copia, eam verbulorum superstitiosa religione terminare. Sed quemadmodum stulta illa, numerorum verborumque scrupulosa & nimis reuocata ad artem ratio, ita contra mirifica, & scriptis rhetorum celebrata, orationis continuata ac fusae, copiosa & laxa obseruatio, quae dictiunculis minimè haud contenta, neque in sententia una atque altera occupata, artificium construit admirabile suum, ex copia sententiarum aggregata, & serie membrorum ac

P R A E F A T I O.

rum ac partium continuata ac elongata: quam si qui sunt, qui ita ducunt leuam, ut naturae eam beneficio texti, vel generali praescripta orationis elaboranda forma expediri, superbè & temere asseuerare audeant, hi nihil quod sit in ipsa arte admirabile relinquunt, & penè eloquentiam omnem, adeoque dominatum eius totum, falso ac turpiter explodunt ac tollunt. An vero illis vis orationis efflorescens, qua hominum diuerberantur animi, & quam laudibus consecrauerunt tantis veteres illi, haec tantum videbitur, quam de verbis mundis & puris, tropis & numeris, rhetorum insertam scholis, olim tradiderunt grammatici? At hoc in arte minutum, & quod ex grammaticorum praecipis vulgatis deductum ac profectum est. An vero quod iactare tantopere minores solent, si quod argumentum ipsi ex loco inuestigauerunt, erit ita in dicendi arte magna & admirabilis, argumenti ad causam pertractandam totam inuentio? Sed partem hanc ipsam strictam magis quam copiosam, in suis antea scholis & officinis, dialectici rerum dissertores, non Oratores professi sunt. Quod si vero magnitudo facultatis, in partibus quaeratur orationis vulgatis & generalibus, non potest non hic quid habere saecundum naturam, quae saepe easdem partes extrudere, & nonnunquam imperitis artis hominibus, haud infeliciter subministrare videtur, cum usu magis rerum edocti illi, principio orationis, ea quae auditorum animos demereantur studiosè corrogent, inde proponant, & sententiam muniunt, postremo perorent & concludant. Et quanquam praeter generalem partium vulgariam formam hanc ipsam, praecipua extent non pauca, concinnata de partium earundem generalium dispositione speciali, quae ad singularem hanc nostram quam tantopere laudibus vehimus observationis rationem proxime accedere videntur, non sunt haec tamen momenti eius, quae sine observatione accuratiori, effusam orationis copiam progenerent. Nam si de Confirmationis solum formae aetnomia atque fabrica dispiciamus, nihil hic ferme usquam in documentis traditum oratorum, quod vel extra syllogismorum ripas, vel

extra

P R A E F A T I O.

extra Enthymematum decurrat alucos. Quod si autem fusior forte & ambitiosior quadam argumenti à nonnullis forma quaeratur, tum rationes propositionibus adnectentes, in genus argumentationis oratorium, membris quinque concinnatum, & vel Epichiremate vel Expositione copiosiori inuestitum miseri excurrunt, hisque expletis perpauca partibus, ipsa statim voce atque sono deficiunt. Egregium sane magna copia genus, in quo vis summa & admirabilis illa, veterum omnium scriptis celebrata resideat, & quo lassum auditoris animum sub ipso argumentationis graui verberare in hanc atque illam partem deduci ac pelli oporteat. Ille qui nihilo plus ager, quam ut partes solum artis perpauca illas, in dicendo ubique expediat, si forte extra argumentationem, fidem in suggestu desinire, & bonum opus diuidere volet, solum si hoc maximè cupiat ipse, ut definitio & diuisio insinuentur, probè intelligantur, & auditores in eas inflammentur, quousque quæso singulari destitutus obseruatione extendet eas, in qua membra educet, & quibus concatenatis quasi partibus, effusam in hisce orationis copiam quaeret? Naturam si hinc volet explorare, ea si in tam potenti artificio manca non est, certè sine obseruato ductu omni, temeraria erit. Artem autem si hinc solum cõsulat, quoniam telam iubet ea membrorum admodum perpaucorum pertexere, prateruolabit vento citius nuda definitio, neque vlla plane erit in negotio vllò ad motum directa tractatio. Verissimè enim Cicero: Qui submissee & qui breuiter dicunt, docere possunt, mouere non possunt, in quo sunt omnia. Neque vero ydem illi, qui obseruationis augustæ & singularis huius amplitudinem vellicant, negabunt opinor, si de amplificatione ipsa, parte artificij huius nostri operosissima interrogabuntur, perpauca de preteritionum, occupationum, digressionum, correctionum, & rerum harum similium figuris, apud Oratores præcepta tradi, ad singularium imprimis quod attinet figurarum harum membra & partes, clausulas & sententias, interualla ac interstitia, quæ ductum in his Orationis copiosum & æquabilem progenerare solent. Et sunt ea, quorum adhuc

B

perpau-

P R A E F A T I O.

per pauca extant concinnata apud Rhetores de figurarum formis documenta, ex ipsa profecta scriptorum ac Oratorum obseruata industria. Ars enim in quibus defecit, ipsa solum obseruatio suppleuit. sepe eadem quoque partes studij huius non paucas inuenit ac peperit. Neque enim sine causa obseruatio tantopere in studio Oratoris amplissimo laudata ab omnibus & requisita fuit, quae si iam pridem ea, quae ad artem integram pertinent, perfecte atque plenè absoluisset, utique studium eius, quod in forma orationis continuata ac fusa, ex sententiarum iusta serie procreata, impendendum esse omnes docent, hoc nunc maximè tempore, quo reperta sunt in arte omnia, falso ac stultè abijciendum & deserendum foret. Itaque quis Oratorum unquam fuit, non dico Graecorum, quorum inuictam olim eloquentiam aetas vetus coluit, non Latinorum, quorum in dicendi studio admiratio, ad nostram usque memoriam perdurauit, sed horum etiam nostrae aetatis hominum, qui cum Orationis inexplebile artificium tentare, misericordiam concitare, à flagitio reuocare, & quemcunque res & causa dedisset affectum, in hominum animis procreare voluit, solum artis contentus ratione, ex partibus eius vulgatissimis pugnauit, & per has rem & causam ipsam, in tantum sententiarum oceanum effudit? At hercle quaesierunt illi, formas saepe definitionum, effectuum, causarum, & argumentorum similium laxas & oratorias, penè in immensum ad copiam omnem dilatatas, quas annotatis rhetorum partibus tam vulgatis quam specialibus illis, sine membrorum obseruato apud Oratores cumulo, velle expedire & perficere, arrogantia turpis, & stultitia manifesta putanda erit. Illi quorum desudat in excolenda hac arte verum ac serium studium, si quid copiosè nonnunquam definiendum, & sententiarum magis serie quam verborum futili cōgerie ad motum ipsum in hominum cœtu expoliendum erit, infeliciores sepe animaduertunt, quam sine ductu Oratorum singulari obseruato, verborum parci, sententiarum vero sint parcissimi: maximè cum iam quaesito Orationis principio definitionis quasi nuda viscera tentan-

P R A E F A T I O.

veniantur, eaq; membrorum adiectione, periodorum collectione, clau-
 sularum aggregatione, in fusata ac debitam orationis magnifica copi-
 am eijciuntur. Idem quoq; in partibus elaborandae Orationis minuti-
 oribus natura adiuti, & praeceptis institutisq; artis praeclare informa-
 ti, quum ad argumentum ipsum (quò omnes congerunt diuitias suas
 Oratores) tractandum & expoliendum deducuntur, destituti ibi in-
 spectione Oratorum singulari, saepe in ipsa arte & membris ab arte
 praescriptis, orbicatem suam miseri experiuntur, & via plane omni,
 sententiarum ad fusam orationis copiam aggregandarum destituun-
 tur. Neq; enim in campum tantum & rerum ita vastum ac latum
 cumulum, ipsa sese ars exonerat, sed hanc sola observatio in continu-
 ata membrorum ac periodorum forma, iucundè ac feliciter procreat.
 Itaq; prodierunt nonnulli, atq; hi in scholis Oratorum nobilissimi vi-
 ri, qui cum admirabile copia artificium non aliundè magis quam ex
 observata oratorum ratione, & continuata membrorum ac partium
 apud eos serie duci intelligerent, in ipsis quoq; Amplificationum figu-
 ris & formis, membra quaedam certa ac peculiaria animadvertere
 studuerunt: Qualia ab Hermogene Occupationum membra in scriptis
 Oratorum deprahensa, haec sunt: Obiectionis pollicitatio, Ipsa obie-
 ctio, Solutionis pollicitatio, Ipsa solutio, Solutionis ratio, & quae alia
 &c. Similitudinis membra ista, περίεσις & Ἀντιπερίεσις. Communis lo-
 ci mēbra multa, κειθάλωμα, ἐνστάσις, Ἀντικειθάλωμα, ἐργασία, Πιχρή-
 ματα & infinita alia, quae una observatio, una inspectio, una animad-
 versio, in rerum & sententiarum progenerando cumulo genuit, quae
 etiam efficit, ut dicendi copia illustres, & membrorum aggregata se-
 rie nonnunquam admirabiles esse possimus. Verborum itaq; ociosa cō-
 geries, sicut religiosè nullibi observari, ita sententiarum accurata se-
 ries, studiosè quantum fieri potest, inquiri ubiq; debet: quam si for-
 tè, naturae magis vis potens & generosa, in naturae edito miraculo Ci-
 cerone alicubi effudit, ea tamen in maxima parte observata ab Ora-
 tore & deprahensa fuit. Quod si etiam ne vestigium quidè ab eodem

P R A E F A T I O.

Oratore continuatae formae huius animo adumbratum, sed quicquid huius dictum, incidenter effusum ab ipso fuit, nos tamen causam ex eo, quamobrem ductum copiosum & magnificum, ad orationis procreandam copiam apud Oratores observatum, negligamus, planè nullam haberemus. Omnino enim existimandum, eorum fortassis qui in Oratorum fuerunt numero, non paucos, natura ipsius habitu propè diuino, per seipso disertos & eloquentes fuisse: Eosdem etiam si naturae beneficio artis praecepta ac instituta adiunxerunt, viros in dicendo celebratos euasisse, verum si ad naturam eximiam & artem cōmunem ipsam, ratio in illis quedam, & observatio singularis accessit, tum quiddam in dicendo praeclarum & singulare extitisse. Observatio enim quemadmodum primis temporibus artē peperit, ita nunc eadem similiter ex ijs, quae naturae vberioris prouentu, à viris quibusq; clarissimis effusa magis quam elaborata sunt, rationem nonnunquam certam extrahit, & copia inde augusta suae lineamenta speciosissima excerpit. Quo nunc plane consilio, per paucas quasdam in diuersi generis argumentis Observationes Oratorias, ad Ciceronis dilatatam copiam repertas, & Imitationis propositis exemplis in dicendi usum publicum illustratas studio quodam meo collegi, & nomini vestro amplissimo dedicavi. Atq; hoc ut facerem audacius, etsi multa sunt, quae me compulerunt, unum tamen quo permotus fui, non tacendum, aut praetereundum oratione erit. Etenim omnes fere, quos Respublica praestans vestra, mihiq; patria charissima, consilijs ciuitatis publicis adhibet, artium studia intelligunt, & de singulis professionum generibus praeclarè & eximiè iudicant. Nec enim penè quisquam est virorum apud vos illustrium omnium, gubernationis clauum tenentium, qui non ab adolescentia inde, expensis parentum maximis, bonas literas tractauit, & aliquam simul aetatis suae partem in Academijs florentissimis consumpsit. Itaq; ex praecipuis & studiorum ac rerum intelligentibus viris, praestantissima semper lumina deligitis: ex quibus sunt pleriq; aetate hac nostra, qui cum iuuenes essemus, ex studiorum

societate

P R A E F A T I O.

societate dulcem mecum coniunctionem fouerunt, & mentis erga me veteris suae laudatam affectionem in hunc usq; diem retinuerunt. Neq; vero in consulibus ipsis temporis huius, viris illustribus & mei amantissimis hominibus, quos nunc rerum summæ præesse apud vos voluistis, aliud quaesiuistis, nisi iustitiam, grauitatem, fidem, humanitatem, & præter hasce reconditas virtutum dotes, rerum doctrinam insignem, & dicendi admirabilem facultatem. Præsumt quos præesse dignum fuit. Scio ipsos studijs verè atq; seriò duci, & sermones eorum de viris literatis honestos, ubiq; circumferri. Dederunt ipsi etiam sub negotiorum graui administratione, eloquentia saepe & doctrine argumenta speciosa & infallibilia. Quæ ita mecum ego dimittens animo, volui hoc quicquid fuit Oratoriae operæ ad imitationem colligere, & nomini vestro amplissimo dedicare. Oro autem filium Dei, primum ad ecclesiam oratorem missum toto pectore, ut vestras Amplitudines in causa religionis, literarum & Reipublicæ totius prouehenda, sub ipso etiam dicendi gloriosissimæ facultatis amore, clementer per annos multos, florentes viribus & consilijs tueatur.

Amplitudines vestras

reuerenter colens

Hartuicus Smidestetus.

B 3

REFV-

REFVTANDIORA-
TORIA FORMA, IMITATIO-
NI EX MANILIANA QUIDEM ORATIO-
ne in quodam nostro assumpto
argumento proposita, sed ad loca etiam Cicero-
nis alia pleraque studiosè elaborata, tum vt co-
piæ amulatione, partes Refutationis certæ ex
formis Ciceronis diuersis quærentur, tum ve-
rò vt artificium, quod tegendum Oratori
vbiq; iubet Cicero, ipsa locorum
diuersitate dissimula-
retur.

REFV-

REFUTATIONIS PARTES
VERIORES, QVAE SUB-
stantiam quasi tangunt eius ipsam, ab
Hermogene numerantur
istæ:

- I. Obiectionis pollicitatio.
- II. Ipsa obiectio.
- III. Solutionis pollicitatio.
- IIII. Ipsa solutio, tota & integra, par-
tibus quidem suis, sed his ad causam
mutatis & variatis exposita.

Cæterum præter partes Refutatio-
nis hæc veriores, aduentitias alias
multas in scriptis deprehenderunt ora-
torum Rhetores, quales sunt:

- I. Solutiones obiectionis vnius mul-
tiplices.
- II. Exordia obiectionibus & solutio-
nibus præmissa.
- III. Membra veriorum Refutationis
partium specialia.
- IIII. Amplificationes, obiectionibus
& solutionibus insertæ, aspersæ, vel et-
iam postpositæ.

Prole-

Verba Ciceronis.

Pro lege Manilia.

*Exordium in Refutationem ipsam à docilitate,
pars aduentitia.*

Exordium in Refutationem breue, eiusque propositio à docilitate, cuius sententia. Sed dissentientes viros duos summos, Q. Catulum & Q. Hortensium, ipsa re atque ratione refutabimus.

At enim vir clarissimus Reipubl. & vestris beneficijs amplissimis affectus Q. Catulus, itemque summis ornamentis honoris, fortunæ, virtutis, ingenij præditus Q. Hortensius, ab hac ratione dissentiunt: quorum ego autoritatem apud vos multis locis plurimum valuissè & valere oportere confiteor. Sed in hac causa tametsi cognoscitis autoritates contrarias fortissimorum virorum & clarissimorum, tamen omissis autoritatibus ipsa re & ratione exquirere possumus veritatem.

Ratio.

Atque hoc faciliùs, quòd ea omnia quæ à me adhuc dicta sunt, iidem isti vera esse concedunt, & necessarium bellum esse, & magnum, & in vno Cn. Pompeio esse omnia.

Obiectionis pollicitatio, pars Refutationis verior prima.

Quid igitur ait Hortensius? Eodem modo Cicero pro Archia. Quæret quispiam? pro Muræna. Quid accusas Cato? quid affers in iudicium? quid arguis?

Obiectio ipsa, pars Refutationis verior secunda.

Ipsa obiectio.

Si omnia vni tribuenda sunt, vnum dignissimum

Verba Imitationis.

*Exordium in Refutationem ipsam à docilitate,
pars aduentitia.*

Premiſſis premiſſendis.

Verum nos ad alterum instituti caput tranſeamus, quod totum ad refutationem improborum, eloquentiam anguſtam temerè vellicantium, conſilio quodam vrgenti noſtro ſuſceptum à nobis videri debet. Et eſſe in literatorum ſæpè numero, qui non leui à nobis ratione in ſtudij optimi parte diſſentiant, haud fortaiſſis iniuria quærimur, quorum ego autoritatem eſſi alicubi apud me valere confiteor, in hac tamen cauſa omiſſis autoritatibus eorum, ipſa re atq; ratione veritatem exquiramus oportet.

Idque eò nunc quidem libentius, quod ijdem iſti, calumniam grandem contra eloquentiam robuſtam & inuictam euomunt, vt ſi in noſtri quod profitemur ſtudij dedecus conſpirent ipſi ac perniciem, ſuæ quam vel diſcunt vel tradunt artis gloriam ſtabiliant.

*Obiectionis pollicitatio, pars Refutationis
verior prima.*

Itaque vt obmurmurantem audiamus, quid verò ait cenſor hic noſter oculatus, impoſtor vanus, ſycophanta ſtolidus, obtrectator inuidus, quo noſtra temerè ſugillare & conuellere, ſua magnificè iactare & extollere audeat?

Obiectio ipſa, pars Refutationis verior ſecunda.

Minuta inquit res, & ſcolaiſtica magis quàm ciuilibis & magna eloquentia eſt, quæ præter quàm quod
C natura

Exordium in Refutationem breue, eiusquè propoſitio à docilitate, cuius ſententia. Sed Vellicantes autoritatibus magis ſuis eloquentiam nūquam ſatis laudatam, ipſa re atque ratione refellam.

Ratio.

Ipſa obiectio.

Verba Ciceronis.

mum esse Pompeium, sed ad vnum tamen deferri omnia non oportere.

Exordium in solutione ipsam, à qua re la vel obiectionis præmissæ reprehensione, pars Refutationis aduentitia, apud Ciceronem in Maniliana oratione tota desideratur. Sed pro Muræna vno loco, verbis propè tribus tangitur, Alio loco fuffissimè attexitur.

In prima Refutatione pro Muræna post obiectionem.

Cuius reprehensio me vehementer mouet, non solum vt vobis iudices, quibus maximè debeo, verum etiam vt ipsi Catoni, grauissimo atq; integerrimo viro, rationem facti mei probem.

In eadem pro Muræna oratione alio loco vbi crimen de ambitu refutat Cicero.

Sed pauca, quæ meum animum repente mouerunt, prius de L. Murenæ fortuna conquerar. Nam cum sæpe antea iudices & ex aliorum miserijs & ex meis curis laboribusque quotidiana
nis

Verba Imitationis.

naturæ potentis beneficio quasi progenerata extrudatur, in scholis minoribus ipsis, prima cuiusque ætate sine negotio omni discatur & doceatur.

Itaq; illi ipsi, qui ita temerè oblatrare eloquentiæ augustæ & ampliæ non verentur, quoties de artibus, sæpe ut fit, in ipsis scholasticorum congressibus sermo est, quò iam velut enataste, & nostra sicut opinantur scholastica magis quàm ciuilia studia interuallo quàm longissimo superasse videantur, sub disciplinarum erudita facta collatione, dicendi illustrem & amplam professionem, sub Rhetoricæ triuialis artis appellatione vtilem & perfacilem superbissimè criminantur, quæ vulgatis Rhetorum de Inuentione & Elocutione præceptis, labore longè minori expeditur, & negotiorum planè ciuiliū expers, ad scholas solum priuatas & publicas, summa docentium ignominia detrudatur & ablegetur.

Exordium in solutionem ipsam, à querela vel obiectionis præmissæ reprehensione, pars Refutationis aduentitia.

Ac me quidem contemptus huius causas verius sciscitantem, ipsa propè res in hanc potissimum sententiã deduxit, vt existimem, nostro nonnunquã quidocemus, graui vitio longè amplissimam & rebus gerendis ciuilibus accommodatam professionem turpissimè contaminari. Fit enim vt Ciceronem in orationibus explicantes (ex quibus accurata rerum agendarum ciuiliū sumenda esset ratio) planè reiecta & minùs animaduersa ipsa Oratoris forèsi ac ciuili facultate, operã còsumamus omnè, in pura & merè gràmatica vocabulorũ annotatione, latinitatis & perspicuitatis ob-

*Expolitio obiectionis
conficta ad amplificationem.*

Verba Ciceronis.

nis fortunatus eos homines iudicarem, qui remoti à studijs ambitionis ocium ac tranquillitatem vitæ secuti sunt, tum verò in his L. Murenæ tantis tamque improuisis periculis ita sum animo affectus, vt non queam satis neque communem omnium nostrum conditionem, neque huius euentum fortunamque miserari, qui primum dum ex honoribus continuis familiæ, maiorumque suorum vnum ascendere gradum dignitatis conatus est, venit in periculum, ne & ea quæ relicta & hæc quæ ab ipso parta sunt amittat, deinde propter studium nouæ laudis etiam in veteris fortunæ discrimen adducitur, quæ cum sunt grauia iudices, tum illud acerbissimum est, quod habet eos accusatores, non qui odio inimicitiarum ad accusandum, sed qui studio accusandi ad inimicitias descenderent. Nam vt omittam Seruium Sulpitium, quem intelligo non iniuria L. Murenæ, sed honoris contentione permotum: accusat paternus amicus Cn. Posthumus, vetus (vt ait ipse) vicinus ac necessarius, qui necessitudinis causas complures protulit, simultatis nullam commemorare potuit: accusat Seruius Sulpitius, sodalis filij, cuius ingenio paterni omnes necessarij munitiores esse debebant: accusat M. Cato qui quanquam à Murena nulla re vnquam alienus fuit, tamen ea conditione nobis erat in hac ciuitate natus, vt eius opes & ingenium, præsidio multis etiam alienissimis, vix cuiquam inimicus esse deberet.

Polliæ

Verba Imitationis.

seruatione, Dialectica argumentorum Inuentione, generali & ea Rhetorica partium orationis dispositione, parum attendentes, quam immensum pelagus ciuiliū & Ecclesiasticarum causarum, ferat secum spaciōsa illa & facultatum operosissima omnium dicendi ars & professio, quæ cum munus suum illustre & graue, apud viros principes in consessibus quotidianis, pulpitis ipsis, consilijs, deliberationibus, amandationibus, non minus vernaculo quam sermone latino expediatur, præter generalia & hæc scholastica artis Theoremata imitationem capescit grandem & difficilem negotiorum in vita tractandorum diuersissimorum, vbi cum orationis erudita copia, ad grauem auditoris motum omnia & singula, tanquam in expeditione agi videantur, ipsa maximè argumentatio, ad elongandam orationis formam, iusta & verè oratoria membrorum omnium subsecutione, per inspectionem Ciceronis solertem & eximiam diducitur, periodi continuantur, cursus & series studiosè conquisitis singulis partium argumentationis membris ostenditur, ita vt obseruata membrorum ac periodorum apud oratores eximios viua similitudine, oratio ipsa non ad motum minùs, quàm ad doctrinam simplicem dirigatur, & res quæ in controuersiam sumitur, felicissima partium oratoris singularum imitatione, quarumcunque gentium atque nationum linguis expediatur. Fit autem in summa rerum harum ignoratione, vt dicendi grauis & admirabilis professio, macula non ferenda aspergatur, & censura iuuentutis iniqua & falsa, vti leuis, abiecta, scholastica, quæ locum in consessibus, & facultatum operosis tractationibus nullum mereatur, ad minima scholarum inferiorum subsellia condemnetur.

C 3

Pollici-

Verba Ciceronis.

*Pollicitatio solutionis, pars Refutationis verior
tertia in Maniliana desideratur, sed in plerisq;
orationibus alijs attexitur.*

Pro Murana.

Huic ego Iudices satisfacere cupio, vosque
adhibere arbitros. Nam cum graue est verè ac-
cusari in amicitia, tum etiam si falsò accuseris
non est negligendum.

Eodem modo pro Archia.

Difficile est hoc de omnibus pronunciare,
sed tamen est certum quid respondeam.

*Solutio ipsa, pars refutationis verior quarta: Hu-
ius verò membra singula in Maniliana oratione
ad argumentationem syllogisticam reducuntur,
sicut partium in margine ascriptarum
cursus & series osten-
det.*

Propositio solutionis.

Obsoleuit iam ista oratio, re multò magis
quam verbis refutata.

Nam

Verba Imitationis.

Pollicitatio solutionis, pars Refutationis verior tertia.

Egonisi animaduertentem, studij huius amplissimi contemptores petulantes illos furore manifesto agi, à quo fastus & arrogantia abesse rarò solet, refutatione ipsis grauiori respondendum esse censerem, qui sui prorsus obliti, ad stabiliendam apud imperitum auditorum vulgus superbam & temerariam opinionem, eloquentiæ latam & amplam professionem, ita quidem temerè prophanant atque vellicant, vt cum superioribus, quas temere nuper ingressi videntur, facultatum professionibus. nulla difficultatis vel utilitatis parte conferatur.

Solutio ipsa, pars Refutationis verior quarta, cuius mēbra pleraq, ad Ciceronis Manilianam formam imitationis causa effigurantur, nisi quod in Maiore syllogismi Cicero, ipsa vero imitatio in Minore magis syllogismi enodanda occupetur.

Verùm quàm perperam faciant, & quantum de amplissimæ artis honore suffurentur illi, qui excordes planè & dementes ità secum ipsi sentiunt, & peruersam suam opinionem ad alios disseminare non verentur, omnium sobriè de studijs iudicantium hominum communis euincit vox & iudicium.

Propositio solutionis.

Nam

Verba Ciceronis.

Ratio propositionis, syllogismo hoc integro hypothetico tractata. Nam Hortensii sententia si in bello piratico contra legem Gabinij, suadentis unum imperatorem Pompeium deligendum voluisset, imperium totum amissemus. Sed tum non valuit sententia eius. Ergo Gabinij lege illa tum constituta, de uno imperatore Pompeio deligendo, nunc imperium tenemus.

** Maior syllogismi tractata. Nam tu idem est. id est, Nam si tua Hortensii tum sententia voluisset, contra Gabinium, de uno deligendo imperatore, nullum hodie imperium teneremus.*

† Ratio maioris prima. Nam ante Gabinij legem, de uno Pompeio belli piratici duce eligendo, imperium propè Romanis per piratas ademptum fuit.

* Nam tu idem Quinte Hortensii multa pro tua summa copia ac singulari facultate dicendi & in senatu contra virum fortem Aulum Gabinium grauiter ornatèque dixisti, cum is de vno imperatore contra prædones constituendo legem promulgasset, & ex hoc ipso loco permulta idem contra legem verba fecisti, quid tum per Deos immortales, si plus apud populum Romanum autoritas tua, quam ipsius populi Romani salus, & vera causa valuisset, hodie hanc gloriam neque hoc orbis terræ imperium teneremus?

† Antibi tum imperium hoc esse videbatur, cum populus Romanus, legati, quæstores, prætoresque capiebantur? Cum ex omnibus prouincijs com meatu & priuato & publico prohibebamur? Cum ita clausa erant nobis omnia maria, vt neque priuatam rem maritimam neque publicam iam obire possemus?

Que ci-

Verba Imitationis.

* Nam si dicendi facultas, forma solùm generali extruendæ & elaborandæ orationis, quam communissima Rhetorum de causarum generibus & sex vulgatis orationis partibus præcepta tradunt, tota quemadmodum somniant illi expedietur, cur passim illustrem, admirabilem, operosam, & scientiarum quæ Philosophiæ continentur titulo omnium, adeoque reliquarum professionum ac facultatum, vnam eam magnificentissimam & difficilissimam auctores quique grauisissimi eminentissimique pronunciauerunt, cum quæ de ratione dicendi præcepta communissima apud scriptores bonos accumulatur, adulatorum nemo nisi per lusum & iocum, sine omni quidem molestia & nominis vlla gloria cognoscere videatur?

† Neque enim temere sensisse putandus Cicero, Artes multas esse & varias, quibus maximam apud mortales gloriam consequamur, sed harum duas esse præcipuas, quæ in amplissimum & laudis & dignitatis gradum collocare homines soleant, eloquentiam & militaris rei peritiam: Cum hæc eiusmodi sint, vt nulla sit ars alia, quæ plura in communem omnium vtilitatem afferat, neque quicquam ab hominibus geri possit, quod non harum præsidio egeat, & sub earum quasi tutela contineatur. quippe illa belli administratrix, hæc pacis moderatrix est. Sed quoniam natura ita comparatum est, vt longè nos acrius ea perturbent, quæ molesta sunt, quam iucunda oblectant, factum est inde, dicente Sturmio, vt à plerisque longè, Imperatoria ars eloquentiæ præferatur. Sed & idem Cicero loco alio: Grauis, inquit, & plena est dignitatis dicendi facultas, quæ sæpe valuit in consule deligendo, posse consilio atq; oratione, & senatus, & Populi, & eorum qui res iudicant, mentes permouere. Magnus dicendi labor magna res, magna dignitas,

*Ratio propositionis
syllogismo hoc integro
hypothetico tractata.
Nam si ita leuis di-
cendi facultas est, &
vulgatis solum Rhetorum
præceptis expediatur,
cur eam scientiarum
omnium difficilissimam
auctores faciunt, &
cur dicentibus omnibus,
ipso opere tam est
difficilis. Sed faciunt
eam auctores tantam, &
est opere ipso difficilissima
Ergo.*

* Maior. Nam si dicendi facultas ita leuis & facilis est, cur eam scientiarum omnium difficilissimam auctores pronunciant.

† Minor & Ratio Minoris prima.
Nam ita Cicero, eloquentiam amplissimam & difficilissimam
statuit.

Verba Ciceronis.

*Ratio Maioris secun-
da, à dissimili & cō-
paratione. Quod e-
nim (inquit) minima
quaque ciuitates ma-
ritima potuerunt pra-
stare ante Gabiniam
legem, id Romano po-
pulo denegatum fuit,
& est hac πρότασις
dissimilitudinis.*

*Antapodosis dissimi-
litudinis.*

Ratio Maioris tertia.

Quæ ciuitas antea vnquam fuit; non dico A-
theniensium, quæ satis longè quondam mare te-
nuisse dicitur, non Carthaginensium, qui per-
multum classe, maritimisque rebus valuerunt,
non Rhodiorum, quorum vsque ad nostram me-
moriâ disciplina naualis & gloria remansit, quæ
ciuitas antea vnquam tam tenuis, tam parua in-
sula fuit, quæ non portus suos & agros, & aliquã
partem regionis atque oræ maritimæ per se ipsa
defenderet. At Hercle aliquot annos continu-
os ante legem Gabiniam, ille populus Romanus,
cuius vsque ad nostram memoriâ nomen inui-
ctum in naualibus pugnis permansit, magna ac
multò maxima parte non modo utilitatis, sed di-
gnitatis atque imperij caruit.

Nos quorum maiores Antiochum regem
classe Persemque superarunt, omnibus naualibus
pugnis Carthaginenses homines in maritimis re-
bus exercitatissimos paratissimosque vicerunt,
ij nul-

Verba Imitationis.

tas, summa autem gratia. Etenim à Jurisconsultis salubritas quædam, ab his qui dicunt, salus ipsa petitur. Deinde Jurisconsultorum responsa atque decreta & euertuntur sæpe dicendo, & sine defensione oratoris firma esse non possunt. Magnifica verò vox & præclara & sapienti homine digna, quæ declarat, vtrumq; cogitasse, sub studij vtriusq; collatione, oratorum principem omnium Ciceronem, & rei euidentem vtilitatem, & immensam ac penè incredibilem operis nostri difficultatem & magnitudinem. Est enim laboris immensi & summi, negotiorum penè singulorum, quæcunque dictione explicanda in vitam possunt incidere, neruosa, illustris, ornata & copiosa oratio, quæ non solum argumentis, & vulgatis orationis partibus, tanquam regionibus suis circumscripta purè ac nudè doceat, sed figuris dilatationum assumptis aptissimis, omni ostentata verborum ac rerum copia, audientium quorumcunq; animos pro ipsa causæ amplitudine feriat, pungat, concutiat. Multa sunt, quæ in tam sublimi peragendo opere difficultatem augent. Primò causarum, quæ nitorem & copiam exposcunt orationis, dissimilitudo, immensum quiddam & infinitum habet. Nam cum dicturis seu scripturis omnibus proposita quæstio sit, & immensa ac penè effusa earum varietas ac diuersitas statnatur, in ipsa harum multiplici capacitate, orationem elaborare oportebit, quæ inuentionem propositæ quæstioni accommodam, & dispositionem ei generi peculiarem contineat.

Deinde verò argumentorum in ipsis causis tractatio, præter nobilissima oratoris munera alia, ita magnifica, operosa, & difficilis est, vt cum robur & præsidium collocari orationis in ipsa videatur, omnem ea eloquentiam, apparatus & motum, adeoq;

D 2

omnes

Ratio Minoris secunda, difficultatem ostendens artis à causarum dicendarum multitudine.

Ratio Minoris tertia difficultatem ostendens artis ab argumentorum difficili Tractatione,

Verba Ciceronis.

ij nullo in loco iam prædonibus pares esse poteramus.

Ratio Maioris quarta.

*Minor syllogismi. Sed
vnum non valuit Quin-
te Hortensii sententia
sua contra Pompeium
vnum Imperatorem
deligendum.*

Nos quoque qui antea non modo Italiam habebamus tutam, sed omnes socios in vltimis oris autoritate nostri imperij saluos præstare poteramus, tùm cum Insula Delos tam procul à nobis in Aegeo mari posita, quo omnes vndique cum mercibus atq; oneribus commeabant, referta diuitijs, parua sine muro nihil timebat, ijdem non modo prouincijs, atque oris Italiae maritimis, ac portibus nostris, sed etiam appia iam via carebamus. Et his temporibus non pudebat magistratus populi Romani, in hunc ipsum locum ascendere, cum eum vobis maiores nostri exuuijs nauticis, & classium spolijs ornatum reliquissent.

Bono te animo Q. Hortensii populus Romanus & cæteros qui erant in eadem sententia dicere existimauit, ea quæ sentiebatis, sed tamen
in salu-

Verba Imitationis.

omnes dicendi faces ac veneres confectetur. Neque se enim illustris & densa oratorum argumentatio, temerè quò natura rapit, ductu magis quàm iudicio in liberrimum orationis flumen projicit, sed ad magnificam sui dilatationem, & grauem animis inferendum motum, amplificationum figuras concinnas & aptas, ex ipsis causæ visceribus natas, magno studio inuenit, inuentas ad partes reducit, reductas in formam disponit, dispositas periodis vestit, munit, eloquitur. Omnia ista in magnifica amplificationis forma, operosissima conspiciuntur, quæ sicut sub religionis, belli & pacis causis, ita sub reliquis vitæ humanæ partibus, vbi vel sedandi vel excitandi erunt animi, omni sermonis genere, abundè & frequentissimè ætate nostra dominantur.

Quamobrem contra peruersè sentientium opinionem, qui de rei persuasi leuitate, totos sese à præclarissimis eloquentiæ inuictæ studijs abducunt, sublimis & operosa dicendi scribendique professio illa, propter immensam sui difficultatem, haudquaquam vmbatilibus Rhetorum disputationibus contenta, præter multa ac varia naturæ & artis adiumenta, autorum in primis nobilissimorum accuratam prælectionem, & horum solertem ac difficilem imitationem exposcit, quæ dum negotiorum in vita diuersissimorum oratione elaborata exempla ac paradigma intuetur, magna arte simile quiddam effingendo obseruat singula, & quibus ex locis accurata, vel causis explicandis conuenientia exordia ducantur, & vnde amplificationes sumantur, membra in ijs singula, periodorum subsecutione debita connectantur, affectus quo modo tractentur, animi concilientur, perturbentur, sententiæ quàm tempestiuè aspergantur,

D 3 partes

Ratio Minoris quarta, difficultatem ostendens artis ab oratorum obseruatione & imitatione.

Verba Ciceronis.

*Conclusio syllogismi.
Itaque nunc etiam
Gabinia lege illa im-
persum tenemus.*

in salute communi, idem populus Romanus do-
lori suo maluit, quam auctoritati vestrae obtempe-
rare. Itaque vna lex, vnus vir, vnus animus, non
modo nos illa miseria aut turpitudine liberauit,
sed etiam effecit, vt aliquando verè videremur
omnibus gentibus ac nationibus terra marique
imperare.

*Amplificatio solutioni postposita pars Refutatio-
nis aduentitia.*

*Amplificatio à digressi-
sione vel excursionē in
petitionē, vt Cn. Pom-
peio Aulus Gabinus
legatus adiungatur,
cuius exordium à bre-
ui Narratione iniuria
ducitur, qua facta est
Gabinio & Pompeio.*

** Propositio ampli-
ficationis.*

† Ratio prima.

¶ Ratio secunda.

Ratio tertia.

Quò mihi etiam indignius videtur obtrecta-
tum esse adhuc, Gabinio dicam? an ne Pom-
peio? an vtrique? id quod est verius, ne legaretur
Aulus Gabinus Pompeio expetenti ac postulan-
ti. * Vtrum ille qui postulat legatum ad tantum
bellum quem velit, non est idoneus qui impe-
tret? † cum cæteri ad expilandos socios diripi-
endasque prouincias, quos voluerunt legatos e-
duxerint. ¶ An ipse cuius lege salus ac dignitas
populo Rom. atque omnibus gentibus constitu-
ta est, expers debet esse gloriæ eius imperatoris,
atque eius exercitus, qui consilio ipsius atq; peri-
culo est constitutus? An Cn. Falcidius, Q. Me-
tellus

Verba Imitationis.

partes in causis quo consilio disponantur, auditor vbi præparetur, causa proponatur, aduersarius refutetur, affectus & motus orationi inserantur. Atque hæc sunt, quæ præceptis Rhetorum communissimis, de orationis partibus, statu eius, argumentis, & rebus hisce similibus, per minorum quasi dicendi artium suppetias haudquaquam expediuntur, sed quæ accuratis rerum tractationibus, & per studiosis oratorum observationibus ad usum collecta & excepta publicum, in forum postea ipsum & conflictum, in clamorem & puluerem, in castra & aciem, non sermone solum latino nostro, sed nationum atq; gentium omnium linguis educuntur, tum verò ad vitæ ciuilibus & ecclesiasticæ usum, apud quoscunq; quarumcunq; terrarum homines felicissimè transferuntur.

Amplificatio solutioni postposita, pars Refutationis aduentitia.

Quò iam maiori digni odio, qui munus orationis ita potens & graue, æstrum linguæ istud penè formidabile, ciuitatibus verò & populis ipsis salutare, naturæ beneficio non solum regi, sed penè totum expediri, adde in scholis minoribus ipsis, vti rem minutam & leuem, vulgatam & scholasticam proponi ac volui, tractari & agi, superbissimè vociferantur. Atque vt persuasionem illam, seu erroris huius vanitatem temerè illi in animis stabiliant audientium, turpiter commisso diuisionis ac compositionis vicio, rerum solo pondere agendum vbique esse clamitant, quas futilis & ociosa verborum spuma illa, vi naturæ potentis huius progenerata (hoc enim nomine odiosè eloquentiam exagitant illi) facile confectetur,
Horatio

Conclusio.

Amplificatio à digressionem, in vulgati argumenti quod contra artis difficultatē obijcitur Refutationem.

Verba Ciceronis.

tellus, Q. Cælius Latiniensis, Cn. Lentulus, quos omnes honoris causa nomino, cum tribuni plebis fuissent, anno proximo legati esse poterunt, in hoc vno Gabinio sunt tam diligentes, qui in hoc bello quod lege Gabinia geritur, in hoc imperatore atque exercitu, quem per se ipse constituit, etiam præcipuo iure esse deberet, de quo legando consules spero ad senatum relatu-ros, qui si dubitabunt aut grauabuntur, ego me profiteor relaturum. Neque me impediēt eius Quirites inimicum edictum, quo minus fretus vobis, vestrum ius beneficiumq; defendam. Neque præter intercessionem quicquam audiam, de qua (vt arbitror) isti ipsi qui minantur etiam atq; etiam qui id liceat, considerabunt. Mea quidem sententia Quirites vnus Aulus Gabinus, belli maritimi rerumq; gestarum autor & comes Cn. Pompeio adscribitur, propterea quod alter illud bellum suscipiendum vestris suffragijs detulit, alter delatum susceptumq; confecit.

*Conclusio amplificati-
onis.*

Verba Imitationis.

Horatio in primis annuente: *verbaque prauisam rem non inuita sequentur.* Eset id aliquid fortassis quod dicitur, & quod specie tanta, & colore non paruo multitudini imperitæ obtruditur, solùm si dicendi vim summam & admirabilem illam, hæ duæ solùm partes gubernarent, & nisi mediam sese interponeret, & quasi in verborum ac rerum societatem offerret, ipsa orationis potens domina, tractandi intellige Ratio operosa, quæ ab ipsis rebus distincta, & à verbis diuisa ac separata, professionis nostræ est propria, tum verò in ipsa causarum quæ controuertuntur omnium obseruata apud oratores bonos forma occupata. Ea cum effigiem confectetur argumentorum diuersissimorum, propter ductum & cursum membrorum continuatum & amplificatum, admirabilis artificij censetur, & quiddam ab ipsis rebus ac verbis distinctum & separatum habet, atque haud scio an non quid sæpe hisce, ex obseruatione speciali & singulari sua & difficilius & magnificentius:

E Solu.

*Solutio obiectionis secunda. Cæterum obiectionis
vnius solutiones multiplices, passim extant apud
ipsum Ciceronem. Inprimis verò duplex solutio
præiudicij tertij, de lege nouæ quæstionis à Pom-
peio lata, apud Ciceronem notetur, in oratione
Miloniana, in eo: Quod si per furio-
sum illum tribunum*

Et c.

Quam si qui sunt, qui vulgatis tantum scho-
larum documentis expediri, & naturæ o-
pificio totam consumi arbitrantur, opinione
hi sua turpissimè falluntur, & re multò magis
quam verbis refutantur. Nam iidem isti, si
quando multa ipsis pro summa copia & dicendi
singulari facultate, in senatu aut populo, de re-
bus grauitè ornateq; dicendum erit, experiun-
tur planè, quousq; naturæ vis debilis proueha-
tur, & quàm sæpe parum adiuventi, ab ipsa ar-
te scholastica ad causas eloquentissimè peroran-
das proficiscatur. Quæro si de amicitijs neçten-
dis, inimicitijs sedandis, tributis pendendis,
controuersijs componendis, doctrinæ partibus
explicandis, verè & seriò, in senatu aut populo
agatur, an naturam solùm consulant illi, qui di-
cendo mouere, & de his perorando gloriam vo-
lent consequi? Profectò si de rebus hisce, & de
tota dicendi ratione verè consulantur illi ipsi, ad
iudicium examinati, non multum me fallit,
quid responsuri sint, Et primo quidem artis si-
stema

stema quoddam noscere oportere, Tum si quæ
vis naturæ latens, dicendo eam excolere, maxi-
mè verò effigiem argumentorum in continuata
oratorum forma obseruare, partium tractatio-
nem accuratam inuestigare, membrorum ac pe-
riodorum, clausularū & sententiarum successio-
nem ac seriem annotare, Dicit vix potest, quàm
multa sint, quæ respondebunt nobis illi ante fi-
eri oportere, quàm ad hanc dicendi summam
& admirabilem rationem peruenire. Hic enim
si naturæ occulta & prima semina, tum verò ar-
tis vulgata & scholastica theoremata, locum in
dicendo primum habeant, quæro per Deum im-
mortalem, quid eloquentia, quid dicendi ratio
invieta, quid verborum & rerum augusta copia?
quæro quid in eo minutissimæ artis genere am-
plitudinis, quæ naturæ præsidij contenta, &
quasi repens in scholarum inferiorum vmbra,
neque per magnificam oratorum adumbratam
& obseruatam formam in aulam aut curiam,
neque in forum aut confessum educitur. Ve-
rum ob hoc, facultatis eam magis, quàm artis
nomen & appellationem tenere, quòd ex scho-
larum educata latebris, in confessum aliquando
publicum prodeat, seque in vitæ tam ciuilibus quàm
ecclesiasticæ munera exoneret, multò est fortas-
sis notius, quàm vt demonstratione indigeat.
Neque enim magnus habitus Cicero ætatum iu-
dicio, ea quibus gloriam consecutus fuit, ex
Rhetorum hausta documentis in scholis, sed ex
oratorum obseruata scriptis in foro eloquentif-

simè peroravit. Et quanquam eius pleræque artes generis videantur, quæ discussione profundæ, & eruditione ipsa eximiæ, philosophorum augustis quidem, sed spacijs solitarijs illis terminentur, dicendi taman ratio summa & admirabilis, consiliorum & deliberationum occupata imagine, in media conspicienda luce versatur. Quod totum inde manare video, quia artium permultarum studia, ferè reconditis atque abditis è fontibus hauriuntur, dicendi autem omnis ratio in medio posita, communi quodam in usu, atque in hominum more & sermone versatur, ut in cæteris id maximè excellat, quòd sit longissimè ab imperitorum intelligentia disiunctum, in dicendo autem vicium sit vel maximum à vulgata rerum forma, atquè à consuetudine communis sensus abhorrere. Itaque si quæ rei tantæ, & operis immensi, præclari & publici huius fundamenta in scholis sæpe minoribus ipsis sternuntur, & iam quasi balbi à primo lactè pueri, ad dicendi operosam facultatem instruuntur, idcirco potentem rerum dominam orationem, & dicendi artificium penè inexplicabile ac diuinum, quiddam scholasticum appellabimus, quod à consensibus remotum, & longè ab ipsis efflorentium rerum actionibus alienissimū, solum in scholarum pulueribus sopitum resideat, & amplitudine ea, quam nonnullæ augustæ & amplæ facultatum professiones suo quodam iure merentur, planè destituatur & careat? maximè, cum eloquentiæ profligatores ipsi, scho-
larum

larum edocti inferiorum experientia, & iuris
sæpe amplissimi, & Theologiæ augustæ ac san-
ctæ fundamenta ibidem doceri ac tradi, probè
ipsi sciant & intelligant. Quas tamen professio-
nes augustas & amplas, hoc solùm nomine pu-
tare leuiore, quòd de harum principijs iuen-
tus tenerior ætate prima in scholis edoceatur,
arrogantiæ detestandæ putandum erit. Sed
quemadmodum facultatum superiorum Do-
ctores ipsi, cibum quasi præmansum pueris in os
ingerentes, & legum in scholis tyrocinia prima
exercentes, professionis suæ amplitudinem ex-
primis licet augustis initijs illis haudquaquam
definire solent, sed ad vltiora etiam perueni-
re, eaq; & plura quotidie & maiora in schola-
rum publicarum frequentia aggregare & obser-
uare, ita nostræ artis olores illi fastuosi & super-
bi, oratorum de vitæ ciuilibus argumentis illustres
tractationes, in quibus periodorum atque parti-
um subsecutio, orationis elongatio & amplifi-
catio, rerum apparatus & motus, verborum
splendor & pondus, artem ità vilem non habe-
ant, quæ præceptis Rhetorum vti dictum com-
munissimis illis, de orationis partibus, statu, ar-
gumentis, & rebus hisce similibus tota expediat-
tur. Cognitione artes faciles, vsum verò harum
rem longè esse difficilimam diuinus plato pro-
nunciat, fermè vt intelligi possit, in sublimi &
illustri dicendi artis professione, ad verum i-
psum demonstrandum eius vsum & artificium,
Paulò solidiorem requiri ab interpretibus in

scholis publicis documentorum artis enarrationem, autorum grauissimorum explicationem, argumentorum diuersissimorum inspectionem, cuius vix gustus prima cuiusque aetate, ob debile & infantile eius iudicium percipi potest. Nec enim minori saepe difficultate artifices ipsi, in explicandis autorum disertissimorum scriptis, animaduertendis partibus, connectendis membris, inuestigandis amplificationibus, & tractandis maximè argumentis ipsis occupantur. Sunt enim quæ sub Rhetoris cadunt neruum, in pingendis maximè & elongandis orationis copia argumentis ita eximia, vt cum maiores, vix imitando ea assequantur, minores natu planè effugiant. Verè itaq; de orationis illustri forma, quæ observatione regitur accurata Cicero: Non omnis locutio oratio est, sed ea quæ vera & viua oratoris voce continetur. Sed vix digni fortassis illi, contra quos primo nobis loco instituta est oratio, qui vel magis audiantur, vel in quibus copiosè refutandis, nostrum vsque ad eò deludare studium debeat, maximè cum viros non solum graues & doctos, sed & nominis illustri fama passim celebratos, haudquaquam pudeat, amplissimam dicendi artis in scholis publicis professionem sustinere, & ad extremum vsque vitæ spiritum docendo in ea perseuerare, eò quod existiment ipsi, illustres & elongatas negociorum diuersissimorum apud oratores bonos tractationem, vt rem infiniti operis, ita artem summæ & extremæ molestiæ esse.

FOR-

FORMA ORATO- RIA, MAIORIS SYLLO- GISMI HYPOTHETICI, VEL LOCI

communis tractandi, in effiguratione exempli nostra,
ad Ciceronis pro P. Quintio Imitatio-
nem efficta.

MAior syllogismi, vel communis loci Ciceroniani:
Quod si vadimonium etiam deseruisset Quintius, cau-
sam tamen non haberet Neuius, cur ad extrema statim
& inimicissima iura decurreret.

Minor: Sed vadimonium non deseruit, Ergo &c.

MAior syllogismi exempli nostri: Quod nisi reuerentia
& magistratus veneratione commoueretur coeleste
numen, non ita grauitur inobedientes puniret.

Minor: Sed punit grauitur inobedientes. Ergo &c.



GENERALIS EX OBSERVATIONE
PRAEMISSA MAIORIS APVD CI-
ceronem Delineatio.

Sciendum omnino, ad imitationem illustrem, Maioris in Cicerone Tra-
ctationem, primò & generalitr, partibus constare vulgatis Hermoge-
nicis, deinceps numerandis. Deinde vero quadam ad motum directâ,
& in Neuium aduersarium accommodata Amplificatione. Et hæc qui-
dem duæ generales Tractationis in Maiore partes sunt. Nos de primâ
solum, quæ Locis tractandis communibus magis familiaris est, commen-
tabimur. Extant itaq; apud Hermogenem vocabula artis ista, quibus vel
institui vel absolui rerum vberior Tractatio solet. 1. κεφάλαιον id est
caput rei propositæ ab aduersario: Velut hîc statim Cicero: Vadimoni-
um sibi ait esse desertum, hoc est, deseruit vadimonium Quintius, Quod
caput est, Quintio ab aduersario Neuiio propositum. 2. ἐνστασις, id est,
quod contracaput affertur, vel Depulsio eius, quod ab aduersario obijci-
tur: uti hîc Cicero, Antequam doceo id factum non esse, hoc est, vadi-
monium Quintius non deseruit. 3. Ἀντιπαρῆνεσις, id est, abundans de-
fensio, uti hîc Cicero. Etiam si vadimonium Quintius deseruisset, non
tamen ita ilico ad hoc extremum & inimicissimum iudicij genus deueni-
endum fuisset. Atq; hæc quidem Ἀντιπαρῆνεσις, Maioris ipsius consti-
tutio & propositio est. 4. Est ἐπιχειρήματα. Et sunt ἐπιχειρήματα Ra-
tiones depulsionum, vel rerum propositarum primæ & præcipuæ, quibus
propositionum aggredimur fundamenta: uti hîc Cicero, propositioni
Maioris, Rationes duas & præcipuas subiungit, quarum prima est: Gra-
uissimum enim de probro iudicium est, quo nihil turpius, miserius, acer-
bius. Quam mirè tractat Enthymematis, hoc est subiectis rationibus Ci-
cero. Altera est, Nec etiam boni cum palàm fraudantur, ad hoc actio-
nis genus descendunt, Quam similiter Enthymematis Cicero tractat
atq; explicat. Hæc vero primæ & præcipuæ Maioris apud Ciceronem Ra-
tiones sunt, quas Epichiremata in Rhetoricis nominat Hermogenes.
& Membrum quintum ἐργασία est, hoc est Epichirematis expositio, seu ex-
ornatio,

ornatio, quæ fieri solet aut comparatione, aut similitudine, aut contrarijs:
velut hic Epicheremati (quid homini turpius, quid vero miserius, aut a-
cerbius?) subiicitur expolitio, comparatione aliorum membrorum confe-
cta: pecuniam cuiquam si fortuna ademit, aut si alicuius eripuit iniuria,
tamen dum existimatio est integra facile consolatur honestas egestatem,
at non nemo aut ignominia affectus &c. Et hæc est prima Rationis ἐργασία
seu exornatio. Quod vero eandem novam rationem rursus confirmat,
postremo & sexto loco ἰδιόμῳ vocatur: uti Cicero in eodem loco, Ratio-
nes & Rationum confirmationes, rationibus subinde alijs, velut Enthymematis
Dialecticis confirmans. Etenim inquit, mors honesta, sæpe vitam
quoq; turpem exornat, vita turpis ne morti quidem honestæ locum relin-
quit. Quæ tamen in parte sciendum, non solum Enthymemata eiusmodi,
in approbationem Exornationis, hoc est, ἐργασίαν cadere, verumetiam in
conclusionem ipsam probationis: Velut Cicero ibidem continenter con-
cludens, Ergo hercule inquit, cuius bona ex edicto possidentur, huius o-
mnis fama & existimatio cum bonis simul possidetur, de quo libelli in ce-
leberrimè locis proponuntur, huic ne perire quidem certe, tacite obscu-
reque conceditur cui magistri sunt &c.

Conclusioni rationem, velut Enthymema addit Cicero: Itaque maio-
res nostri raro id accidere voluerunt, prætores ut consideratè fieret com-
parauerunt. Locus unus consequentium, quatuor suppeditavit Enthymemata.
Atque hæc quidem ab Hermogene membra & vocabula artis nu-
merantur, rerum subinde Tractationi inseruientia. Nos vero perspicui-
tatis maioris gratia, membra ferè omnia ista ad figuram Copiosæ & Rhe-
toricæ expolitionis reduci, plane & commodè assueverabimus. Constat e-
nim ea, quæ non verborum sed rerum dicitur expolitio, partibus quidem
pluribus, sed hisce sequentibus, vulgatiore, quas mutare tamen & in-
uertere, nonnunquam alijs etiam atque alijs continuatis rationibus augere
& locupletare licebit pro arbitrio. 1. propositione, rem expoliendam com-
plectente, quæ Maioris velut propositio & constitutio est. 2. Ratione. 3.
Rationis confirmatione. 4. sententia, rationis vel confirmationis illustran-
dæ causa. 5. similitudine vel comparatione 6. Conclusionem. Quæ tamen
partes singula alijs atque alijs subinde rationibus, tanquam nominatis Enthymematis
illustrari & dilatari poterunt.

F

Ad

Verba Ciceronis.

*Propositio & constitu-
tio Maioris, pars ex-
polutionis prima. ἀν-
τιπαρεσκευασις Hermo-
geni.*

*Ratio prima & ea prin-
cipalis Maioris seu lo-
ci communis pars ex-
polutionis secunda.*

*Confirmatio Rationis
pars expolutionis ter-
tia, Hermogeni ἐπιπα-
ρισία, à comparatione.*

*Redditio Comparatio-
nis.*

*Ratio Ethica praece-
dentis sententiae, pars
expolutionis quarta.*

*Conclusio probationis
vel Rationis prima,
pars expolutionis quin-
ta.*

Ad Vadimonium non venerat ut ais, is qui cum tibi affinitas, societas, omnes denique causae & necessitudines veteres intercedebant. Illicone ad praetorem ire conuenit? continuone verum fuit postulare, ut ex edicto bona possidere liceret? ad haec extrema & inimicissima iura tam cupidè decurrebas, ut tibi nihil in posterum quod grauius atque crudelius facere posses, reseruares.

Nam quid homini potest turpius, quid vero miserius, aut acerbius usu venire, quod tantum euenire dedecus? quae tanta calamitas inueniri potest?

Pecuniam cuiquam si fortuna ademit, aut si alicuius eripuit iniuria, tamen dum existimatio est integra, facile consolatur honestas egestatem. At non nemo aut ignominia affectus, aut iudicio turpi conuictus; bonis quidem suis utitur, alterius opes id quod miserrimum est expectat, hoc tamen in miseris adiumento & solatio subleuatur. Cuius vero bona venierunt, cuius non modo illae amplissimae fortunae, sed etiam victus vestitusque necessarius sub praecone cum dedecore subiectus est, is non modo ex numero viuorum exturbatur, sed si fieri potest infra etiam mortuus amandatur.

Etenim mors honesta, saepe vitam quoque turpem exornat. Vita turpis ne morti quidem honestae locum relinquit.

Ergo hercule cuius bona ex edicto possidentur, huius omnis fama & existimatio cum bonis simul

Verba Imitationis.

Quod nisi sensus resideret certus venerationis huius apud mentem diuinam, quod nisi ea se optemperatione coli, & se contra grauius ea sprete lædi animaduertetet, an vero inexhausta bonitas, & scelerum indulgens parens DEVS, pœnasita graues funestas, acerbis immitteret, & dicto inobedientes mitis ipse atq; clemens læderet, perderet, affligeret, neque vitæ solum bonis, sed & cœlo ipso, atq; omni luce priuaret? ad has extremas & inimicissimas vias ita cupidè misericordiarum parens decurreret?

Nam quid homini nato potest miserius, quid vero tristius, quid acerbis accidere? quæ tanta cogitari calamitas, & cuius boni tanta fingi atque concipi ereptio potest?

Fortunas si quis amittat existimatione integra, egestatem facile consolatur honestas, damnatum contra, & turpi scelere conuictum, spes sæpe fortunarum amplissima tuetur: vitam etiam si quis casus honesto & innocenti eripiat, dummodo pietatem veram colat, vitæ alterius & gaudij nunquam desituri solatio subleuatur: Quem vero cœlestis ultio, quem numen venerandum agit, quem inferi metus territat, quem supplicij æternitas excruciat, is non modo vitæ huius miseris subijcitur, sed exitio perpetuo, & Dei metuendo ac nunquam desituro iudicio fatigatur,

Etenim quas secum affert ægritudines, vitæ huius conditio, durabiles non sunt, cum vltrices furias, hominum animis iudicio Dei iusto ingeneratas, locus post hanc vitam nullus tollat, ætas nulla adimat, nulla postera pœnitentia consumat aut imminuat.

Ergo me hercule cui ira grauis cui mors, cui supplicium, cui infernus ab æterna mente denunciatur,

F 2

ille ex-

Propositio & constitutio Maioris, pars expolitionis prima. à vitæ γενεσις Hermogeni.

Ratio prima & principalis Maioris seu loci communis pars expolitionis secunda.

Confirmatio Rationis, pars expolitionis tertia, Hermogeni ἐργασια, à comparatione.

Redditio comparationis.

Ratio precedentis sententia, pars expolitionis quarta.

Conclusio probationis vel Rationis prima, pars expolitionis quinta.

Verba Ciceronis.

simul possidetur, de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic me perire quidem certe tacite obscureque conceditur, cui magistri fiunt & domini constituuntur, qui qua lege, & qua conditione pereat pronunciant. de quo homine præconis vox prædicat & precium conficit, huic acerbissimum viuo videnti; funus ducitur: si funus id habendum sit, quo non amici conueniunt ad exequias cohonestandas, sed bonorum emptores, vt carnifices ad reliquias vitæ lacerandas & distrahendas.

Itaq; maiores nostri, raro id accidere voluerunt, prætores vt consideratè fieret, comparauerunt.

Viri boni cum palam fraudantur, cum experiundi potestas non est, timidè tamen & pedentim istuc descendunt, vi ac necessitate coacti inuiti multis vadimonijs desertis, sæpe illusi ac destituti.

Considerant enim, quid & quantum sit alterius bona proscribere iugulare ciuem, ne iure quidem quisquam bonus vult.

Mauult enim commemorare, se cum posset perdere, pepercisse, quam cum parcere potuerit, perdidisse.

EXTAT & alia non inuenusta, sed copiosa Maioris syllogismi, vel loci communis tractati forma, in oratione pro A. Licinio Archia, quæ sub verbis quidem illis incipit: Quæres à nobis Græche, cur hoc homine tantopere delectemur.

LOCVS

*Ratio Conclusionis,
Enthymema sicut
constituens, pars ex-
positionis Sexta.*

*Secunda principalis
Ratio, copiose expola-
tionis.*

Ratio ἔργου

*Confirmatio Rationis,
tanquam Enthymema
aliud.*

Verba Imitationis.

ille exitio perpetuo subijcitur, & iudicio nunquam defituro reservatur, de quo homine Dei vox auditur, quæ qua lege ac conditione ipse pereat, pronunciat, huic viuo videnti; in vita & post vitam funus indicitar: si funus dicendum est, quod cruciatus primò indelebiles, & sensus omnium post hanc vitam acerrimi, excipere videntur,

Itaq; ad pœnam hanc irrogandam, & supplicium inferi inferendum, vindicta diuina lento admodum procedit gradu.

Inuitus penè, & hominum graui adactus scelere, rebus desperatis omnibus, eò descendit mitis ac clemens dominus.

Permotus enim suo erga mortales amore verissimo, clementer considerat ipse, quid & quantum sit, si quem furia non ardentibus tædis, sicut in fabulis est, sed angore conscientia, & cruciatu fraudis perpetuo infectentur.

Mauult enim commemorari, se cum posset perdere pepercisse, quam cum parcere potuerit, perdidisse.

*Ratio Conclusionis,
Enthymema velut
constituens pars ex-
positionis sexta.
Secunda principalis
Ratio copiosa expositio-
tionis.*

Ratio Ἐ λογισμῶ

*Confirmatio Rationis
tanquam Enthymema
aliud.*

LOCVS COMMV- NIS EST.

Studia literarum colenda, & homi-
nes docti præmijs & honoribus dignis
prosequendi.

Exordium.

Quæres à nobis Gracche cur tantopere hoc
homine delectemur.

Quia suppeditat nobis, ubi & animus ex hoc
forensi strepitu reficiatur, & aures conuicio de-
fessæ acquiescant.

An tu existimas, aut suppetere nobis posse,
quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum,
nisi animos nostros doctrina excolamus, aut fer-
re animos tantam posse contentionem, nisi eos
doctrina eadem relaxemus.

Propositio.

Ego vero fateor me his studijs deditum, cæ-
teros pudeat, si qui ita se literis abdiderunt, vt
nihil

Delineatio Tractati communis Loci Generalis.

Constat Maioris syllogismi, vel communis loci huius tractatio, partibus Rhetoricæ Orationis; quatuor: exordiolo breui, quo fit ingressus in Locum ipsum communem, propositione, confirmatione, & Refutatione. Exordium & velut vestibulum & ingressus in Maiorem, vel communem locum, in eo: Quæres à nobis Gracche: Propositio in eo, Ego vero fateor, me his studijs deditum esse: quod est, Ego vero fateor, literarum studia! & literatos homines colendos. Hæc enim ipsa est Maioris vel Loci communis propositio & constitutio, sub persona Ciceronis ipsius, modo quodam oratorio inuelata. Confirmatio in eo, Atq; hoc ideo mihi concedendum. Refutatio illius, quod obijci contrà poterat, in eo, Quæret quispiam. Nunc de membris communis loci tractati singulis ad imitationem venustam, in paginis sequentibus.

Exordium.

Exordij propositio, cuius sententia. Ego Archiam diligo.

Ratio propositionis bipartita, ab utili, & Iucundo.

Confirmatio bipartitæ rationis, cuius sententia Dialectica, Suppeditat enim nobis doctrinæ vel rerum varietatem in iudicio, & nos defessos dicendi labore relaxat. Ornata interrogatione.

Propositio.

Loci communis, vel Maioris syllogismi constitutio sub persona Ciceronis modo oratorio dissimulata, cuius

nihil possunt ex his neque ad communem afferre fructum, neque in aspectum lucemque proferre.

Me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo Iudices, ut à nullius unquam me tempore aut commodum aut ocium meum abstraxerit, aut voluptas auocarit, aut denique somnus retardarit.

Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure succenseat, si quantum cæteris ad res suas obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipsam requiem animi & corporis conceditur temporum, quantum alij tribuunt tempestiujs conuiujs, quantum denique aleæ, quantum pilæ, tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumpsero.

Confirmatio.

Atque hoc ideo mihi concedendum, quod ex his studijs hæc quoque crescit oratio & facultas, quæ quantumque in me est, nunquam amicorum periculis defuit.

Quæ si cui leuior videtur, illa quidem certe quæ summa sunt, ex quo fonte hauriam sentio.

Nam nisi multorum præceptis, multisque literis mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita magnopere expetendum nisi laudem atque honestatem, in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exilij parui esse ducenda nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem.

Quam

cuius sententia Dialectica. Ego vero fateor me in philosophiæ studijs versari, Hoc est, Ego vero censeo Literatos & literarum studia colenda & magnificienda: ornata I. Comparatione, deinde periodorum sequentium duarum expolitione.

Loci communis, vel periodi præcedentis expolitione, verborum alia forma vnum & idem repetens, ad rei vel loci constituti euidenciam.

Loci communis vel periodi præcedentis expolitione altera, ornata collationibus, & congerie, multas species coaceruante.

Confirmatio.

Confirmatio propositionis, vel loci communis, cuius hoc argumentum primum ab vtile, Quod ex studijs, vis dicendi & Eloquentia ipsa augeatur.

Argumentum confirmationis secundum, ab utili item ductum. Conducunt etiam studia ad fortitudinem, & rerum gubernationem vt quæ doceant, nihil in vita, nisi gloriam expetendam.

Ratio argumenti secundi, à suo exemplo. Nam nisi inquit literis didicissem, solam laudem & gloriam expetendam, & pro ea, omnia pericula parui ducenda, non me in tantum discrimen coniecissem.

G

Ratio

Sed pleni omnes sunt libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas, quæ iacerent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accenderet.

Quam multas nobis imagines non solum ad intuendum, verumetiam ad imitandum fortissimorum virorum expressas, scriptores & Græci & Latini reliquerunt.

Quas ego mihi semper in administranda Rep. proponens, animum & mentem meam, ipsa cogitatione hominum excellentium confirmabam.

Refutatio.

Quæret quispiam?

Quid illi ipsi summi viri, quorum virtutes literis proditæ sunt, istanc doctrina, quam tu laudibus effers eruditi fuerunt.

Difficile est, hoc de omnibus confirmare, sed tamen est certum quid respondeam.

Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, & sine doctrina naturæ ipsius habitu propè diuino per seiplos & moderatos & graues extitisse fateor.

Etiam illud adiungo, sapius ad laudem atq; virtutem, naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam.

Atq; idem contendo, cum ad naturam eximiam atq; illustrem accesserit ratio quædam confirmatioq; doctrinæ, tum illud nescio quod præclarum ac singulare solere existere.

Ex

Ratio altera argumenti secundi, ab ipso docto-
rum testimonio.

Rationis confirmatio per Expositionem.

Simperasma vel conclusio argumenti secundi.

Refutatio.

Pars Refutationis oratoriae prima, obiectionis
pollicitatio.

Pars Refutationis oratoriae secunda, obiectio
ipsa. Num igitur viri summi illi, quorum facta literis
mandata sunt, omnes fuerunt docti?

Pars Refutationis oratoriae tertia, solutionis
pollicitatio.

Pars Refutationis oratoriae quarta: obiectionis
solutio, constans concessione & correctione, atq; ita
gemina propositione. Ego multos homines.) Conces-
sio, pars solutionis prima.

Ratio concessionis, primae solutionis partis.

Correctio, pars solutionis secunda; per magnum
tamen inquit momentum habet doctrina, & pracla-
rum quiddam efficit, si cum natura coniungatur.

Ex hoc esse hunc numero, quem patres nostri uiderunt diuinum hominem Africanum, ex hoc C. Lelium. L. Furium modestissimos homines & cōtinentissimos, ex hoc fortissimum virum, & illis temporibus doctissimum Catonem illum senem, qui profecto si nihil ad percipiendam colendamq; virtutem literis adiuuarentur, nunquam se ad earum studium contulissent

Reditus ad Confirmationem.

Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, & si his studijs delectatio sola peteretur, tamen ut opinor hanc animaduersionem humanissimam ac liberalissimam iudicaretis.

Nam ceteræ res neq; temporum sunt, neq; ætatum omnium neq; locorum.

Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

Quod si ipsi hæc neq; attingere, neq; sensu nostro gustare possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam cum in alijs videremus.

Quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit? ut Roscij morte nuper non commoueretur, qui cum esset senex, mortuus tamen propter excellentem artem ac venustatem videbatur omnino mori non debuisse.

Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat à nobis omnibus. Nos animorum incredibiles motus, celeritatemq; ingeniorum negligemus. Ratio

Ratio correctionis, secundæ solutionis partis, ab exemplis præstantissimorum in Rep. Romana hominum.

Reditus ad Confirmationem.

Argumentum confirmationis tertium, à iucundo, tractatum *κατὰ ὑπόθεσιν*: Quod si ex literarum studijs sola delectatio peteretur, tamen essent liberalissima. Et est hic propositio syllogismi Hypothetici.

Ratio propositionis à literarum effectu, vel loco comparatorum & prosyllogismus Minoris, vel pars vna Minoris syllogismi, sed comparati.

Altera pars Minoris syllogismi seu comparati.

Argumentum confirmationis quartum; Literarum studia colenda, eò quod admiratione omnium digna sint.

Ratio ab exemplo Roscij histrionis excellentissimi, Tractata à Minori ad maius.

Conclusio Argumenti quarti.

FORMA ORATORIA,
TRACTATI AD MOTUM ORATIONIS COPIA ARGUMENTI,
ex Dignitatis vel Honestatis locoducti, ad
Ciceroniani argumenti pro lege Manilia imitationem conficta, & membrorum ac periodorum accurata serie elongata.

Argumentum syllogismo conformatum erit.

Bellum in quo gloria agitur Romani populi suscipiendum est.
In Mitridatico bello, gloria agitur Romani populi.
Itaq; suscipiendum.

Generalis præmissa Tractati à Cicerone argumenti Delineatio.

Dignitatum & utilitatum argumentis, cum ferè nihil in confessibus ad dicendum Oratori crebrius, ad splendorem magnificentius, ad motum frequentius, propterea quod dicendi ratio tota, propter auditorum vulgus ipso teste Cicerone argumentis magis tritis & vulgatis constare videtur, fabrica & œconomia horum ad imitationis civilis ductum ac cursum, artis in primis studiosis animaduertenda erit. Nam cum populari perficienda oratione, prædicta duo locorum argumenta frequentissimè incidant, ideoq; splendoris & magnificentiae non parum in vita civili obtineant, ad ipsam horum quod attinet accuratam & copiosam tractationem, permultum inter Dialecticum & Oratorem interesse videtur, ut cum ille certis in his argumentationum formis utatur, & quem ars præscribit ordinem scrupulosa probationis lege sectetur, hic contra, & partibus multò pluribus digladietur, & omni superaddita orationis copia in quemcunq; animi affectum & habi-

& habitum dilabatur. Sciendum itaq; Dignitatis, Honestatis, vel Gloriaræ argumenta, cum reliquis euidentiora sint, & quæ Iudicum animis adhaerescere magis cupiamus, Enthymematis vt plurimum apud oratores confici, propterea quod rei magnitudo, & argumenti nobilitas, iudicio auditorum propositionum paucitate minus distracto, sub forma Enthymematum breuiori, planius concipi, ideoq; & fortius vehementiusq; teri atq; repeti videatur. Nam ita ipse Cicero, nobile hoc cohortationis inflammatae argumentum, Enthymemate, quod est Antecedente & consequente, vel (quod fortassis idem erit) propositione atq; Ratione confecit, ad hunc modum:

Bellum vobis Romani, ad maculam nuper iniustam nobis detergendam suscipiendum erit.

Nam Mitridates, qui tot Romanos ciues trucidauit, non modo nullam adhuc poenam, suo dignam scelere suscepit, sed & iam regnat, & è patrio regno suo emergit, & in ipsa quasi Asia luce versatur.

Verum hæc argumenti breuis & Enthymematica dispositio, motu magnifica, & figuris ipsis dilatata, splendorem mirificum, & orationis dignam copiam iactat. Prima autem & præcipua eius Amplificatio in expolitione est Rhetorica. qua ferè vnum & idem argumentum, per tria continua, & recto sese ductu sequentia Enthymemata, rationibus tamen re-
pertis toties nouis, orator Cicero inculcat & innouat. Conatur enim argumentum euidentis & ponderosum, terendo, innouando, densando, repetendo, per Expolitionis figuram omnium aptissimam auditorum animis insinuare, clarumq; & nobile, frequenti quasi illa immoratione efficere. Amplificatio secunda, in primo maxime Enthymemate est, quod per partes quasdam oratoriaræ & quinquepartitæ argumentationis elongat Cicero, vna cum insertis breuibus quibusdam connectionibus & Digressionibus, quas in paginis sequentibus sub periodorum continuatione animaduertemus.

Et quo-

Verba Cicëronis

Propositio, Vel consequens Enthymematis

Et quoniam semper appetentes gloriæ præter cæteras gentes, atq; auidi laudis fuistis, delenda est vobis illa macula Mitridatico bello superiori suscepta, quæ penitus iam insedit atq; inueterauit in populi Romani nomine.

Ratio propositionis.

Quod is qui vna die tota Asia tot in ciuitatibus vno nuncio atq; vna literarum significatione ciues Romanos necandos trucidandosq; denotauit, non modo adhuc pœnam nullam suo dignam scelere suscepit, sed ab illo tempore annum iam tertium & vigesimum regnat, & ita regnat, vt se non Ponto neq; Cappodotiæ latebris occultare velit, sed emergere è patrio regno, atq; in vestris vectigalibus, hoc est, in Asiæ luce versari.

Confirmatio Rationis.

Etenim adhuc ita vestri cum illo rege contenderunt imperatores, vt ab eo insignia victoriæ, non victoriam reportarent.

Expositio confirmationis.

Triumphauit L. Sylla, triumphauit L. Murena de Mithridate, duo fortissimi viri, & summi imperatores, sed ita triūpharunt, vt ille pulsus superatusq; regnaret: veruntamen illis imperatoribus

Verba Imitationis

Et quoniam gloriæ appetentes, & nominis honesti esse cupidos oportet, si qui militiam hanc nobiscum literariam ingrediuntur, debetis omnino legum obseruatione, & morum illustri probitate, labem & maculam eam delere ac eluere, quæ multorum in hac schola nocentissimorum adolescentum maleficio ante annos elapsos paucos contracta, famam non solum scholæ optimæ constitutæ obscurauit, sed apud vicinas etiam regiones & gentes, dedecus scholæ summum, & ignominiam propè irreuocabilem attulit.

Nec enim querelæ de moribus loci huius dissolutionibus ignotæ sunt, nec rumores in totum falsi, sparsi non solum ad vicinas regiones, sed ad latè disita loca, & terras penè disiunctissimas propagatæ, de quibus si ipsi vos quotquot adestis omnes & singuli, verè ac seriò consulamini, scio, si verum dicere velitis nihil esse horum, quod vel negare vel excusare possitis.

Nihil amplifico, nec quid temere exaggero, quod tacere quidem, multò foret honoris causa melius, sed quis est vestrùm, quis est, qui si sub indefesso ipso & penè improbo ac quotidiano docentium omnium conamine, ea solum repetat animo, quæ ante annos elapsos paucos ab improbis plerisque, & efferatis studiorum cultoribus turpiter gesta, & sceleratè factitata sint, nocturnos eius temporis clamores ac vociferationes nõ toto animo detestetur, oderit, excretur?

Quis vero nostrùm, qui ad commissa tempore breui multorum in hoc loco homicidia, morte & piaculo digna, non penè totus vel expauescat, vel hæc solum si audiat, non dolore iusto atq; ægritudine collabatur?

H

Atque

Propositio vel consequens Enthymematis.

Ratio propositionis.

Confirmatio Rationis.

Expositio confirmationis.

Verba Ciceronis

ribus laus est tribuēda, quod egerunt, venia dan-
da quod reliquerunt, propterea quod ab eo bel-
lo Syllam in Italiam Respubl. Murenā Sylla
reuocauit.

*Exornatio Confirma-
tionis.*

Mitridates autem omne reliquum tempus
non ad obliuionem veteris belli, sed ad compara-
tionem noui contulit, qui posteaquam maximas
ædificasset ornassetq; classes exercitusq; perma-
gnos quibuscunq; ex gentibus comparasset, Bos-
phoranis finitimis suis bellum inferre simulasset,
vsq; ad Hispaniam legatos Ecbatanis misit ad eos
duces quibus cum tum bellum gerebamus, vt
cum duobus in locis disiunctissimis maximeque
diuersis vno consilio ab vnīs hostium copijs bel-
lum terra mariq; gereretur, vos ancipiti conten-
tione distracti de imperio dimicaretis.

*Amplificatio postpo-
sita Exornationis.*

Sed tamen alterius partis periculum Serto-
rianæ atq; Hispaniensis, quæ multo plus firma-
menti aut roboris habebat, Cnei Pompeij diui-
no consilio ac singulari virtute depulsum est. In
altera parte ita res à L. Lucullo summo viro est
administrata, vt initia illa gestarum rerum magna
atq; præclara, non fælicitati eius, sed virtuti: hæc
autem extrema quæ nuper acciderunt, non cul-
pæ, sed fortunæ tribuenda esse videantur.

*Enthymema secundū
Amplificationis causa
repetitum, sed ratio-
nibus confictis nouis
illustratum.*

Sed pro vestri imperij dignitate atq; gloria,
quoniam is est exorsus orationis meæ, videte
quem vobis animum suscipiendum putetis.

Maio-

Verba Imitationis.

Atq; hæc cum in scholis vicinis, & Germaniæ locis florentissimis ante omnium oculos maxima turpissimaq; peruagentur, & penè ita insideant vix vt hominum euelli animis possint, quid est pro Deum atq; hominum fidem, in quo plus hoc tempore Resp. literaria nostra periclitetur: quid est, quod aut fædius audiatur? aut quod locis vicinis & exteris detestabilis videatur? aut honori etiam, salutis, & fortunis nostris magis inimicum accidere dicatur?

Cædes, relegationes, carceres, exclusiones, pœnæ maleficijs irrogatæ fere plures quam alibi tempore primo audiebantur. Vicini si hæc cognoscant, in liberis ad hæc loca ablegandis maximopere deterrentur. Docentes interea multis incommodis & difficultatibus affecti, nihil æquè in schola publica, quam veterem illam iudiciorum vim & grauitatem requirunt.

Sed in hac tanta libidine adolescentum quorundam nocentissimorum, in docentium quotidiana fere querimonia, scholæ optimæ publica infamia, videte oro videte, quem vobis animum ad detergendam grauem maculam istam suscipiendum putetis.

Exornatio Confirmationis.

Amplificatio postposita Exornationis.

Enthymema secundum Amplificationis causa repetitum, sed rationibus confictis nouis illustratum.

Verba Ciceronis

Ratio prima.

Maiores vestri saepe mercatoribus ac nauiculatoribus iniuriosius tractatis bella gesserunt, vos tot ciuium Romanorum millibus, vno nuncio atq; uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis?

Ratio secunda.

Legati quod erant appellati superbis Corinthum patres vestri totius Græciæ lumen extinctum esse voluerunt: vos eum regem inultum esse patiemi, qui legatum popul. R. consularem vinculis ac verberibus atq; omni supplicio excruciatum necauit?

Illi libertatem ciuium Romanorum non tulerunt, vos vitam creptam negligetis? ius legationis verbo violatum illi persecuti sunt, vos legatum omni supplicio interfectum inultum relinquetis?

*Enchymema tertium,
Amplificationis causa
repetitum.*

Videte ne vt illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperij gloriam relinquere, sic vobis turpissimum sit, illud quod accepistis, tueri ac conseruare non posse.

Ac ne

Verba Imitationis.

Transfudit mens æterna suam in mortales imaginem, & velut speculum voluit esse mentem humanam, in quo iustus ipse verax & castus cognosceretur.

Ratio prima.

Neq; vult hanc cœno atq; stercore, impudentia atq; scelere turpiter deformari atq; obrui.

Ratio secunda.

In primis vero scholasticum agmen, cum sit decus ecclesiæ indubitatum, & illos civilis gubernationis præcipuus, haudquaquam existimandum erit, Gyantum aut Cyclosum aut Circes stabulum Academiæ esse, sed Dei Maximi Optimi templum, in quo & habitet ipse, & assidui sint angeli casti, infirma discipulorum corpora tegentes. Eam vero diuinitus acceptam dignitatem, turpitudine propria contaminare, vobis exitiosum, nobis turpe & ignominiosum est.

Videte itaq; videte, ne quam vobis gloriam peperit æternum beneficium, ne quam laudem attulit scholarum publicarum illustre commodum, eam scelere, turpitudine, tum vero morum atq; vitæ summa improbitate deformetis.

*Enthymema tertium
Amplificationis causa
repetitum.*

FORMA ORATORIA ARGV-
MENTI AB VTILI, AD CICE-
RO-
niani Argumenti pro Lege Manilia Imita-
tionem conficta.

Verba Ciceronis

Exordium à docilitate, quo fit ingressus in ipsam argumentationem.

Maior syllogistica argumentationis.

Minor, Vel Minoris ratio.

Confirmatio Rationis.

Conclusio syllogismi.

Amplificatio, syllogismo postposita, ab objectionis cuiusdam mota solutione, sub qua latet ipsa occupatio.

Ratio Amplificationis Vel solutionis.

Ac ne illud quidem vobis negligendum est quod mihi ego extremum proposueram, cum essem de belli genere dicturus, quod ad multorum bona civium Romanorum pertinet.

Quorum vobis pro vestra sapientia Quirites, habenda est ratio diligenter.

Nam & publicani homines, honestissimi & ornatissimi, suas rationes & copias in illam provinciam contulerunt: quorum ipsorum per se res & fortunæ, vobis curæ esse debent.

Etenim si vectigalia nervos esse Reipubl. semper duximus, eum certe ordinem, qui exercet illa, firmamentum cæterorum ordinum recte esse dicemus: Deinde cæteris ex ordinibus homines gnavi & industrii partim in Asia negociantur, quibus absentibus vos consulere debetis, partim suas & suorum in ea provincia pecunias magnas collatas habent.

Erit itaque humanitatis vestræ magnum eorum civium numerum calamitate prohibere, sapientiæ, videre multorum civium calamitatem, à Reipubl. seiunctam esse non posse.

Etenim illud primum parvi refert, vos publicanis amissa vectigalia postea victoria recuperare.

Neque enim iisdem redimendi facultas erit, propter calamitatem, neque alijs voluntas propter timorem. Deinde quod nos eadem Asia atque idem Mitridates initio belli Asiatici docuit id, quod



Verba Imitationis.

Ac ne illud quidem vobis negligendum est, quod ad singulorum salutem, vitam, bona & fortunas pertinet.

Quorum vobis diligens & accurata ratio habenda erit.

Nam scelerati & contumaces præterquam inobedienciæ larvam induunt, ab omni alienam humanitate, scelere etiam pœnas graues accersunt, seq; miseri in turpissimam corporis & animæ carnificinam præcipitant.

Etenim cum innocentiam & vitæ munditiem seuerè præcipiat ille, qui regit omnia cœli ac terræ dominus, omnem animi labem, scelera & maleficia omnia. in ipsis primò qui delinquant, grauissime punit. Deinde vero vnus permotus scelere, pœna quoq; eadem, velut diluuium quoddam ciuitates sæpe ac gentes totas delet ac vastat, & quoscunq; maleficij agnoscit conscios ipse consumit & perdit.

Erit itaq; sapientiæ vestræ, triste iugum & pœnarum grauem cumulum, humeris ac ceruicibus vestris Dei metuendo iudicio impositum declinare, pietatis vero calamitatem haudquaquam alijs non id meritis vestro scelere attrahere.

Etenim istud quidem parui refert, sæpe ad tempus pœnas differri, nec immitti cum maleficium volet.

Grauitate enim quod est pœnarum magnitudine pensari harum tarditas solet.

Exordium à Docilitate, quo fit ingressus in ipsam argumentationem.

Maior syllogistica argumentationis.

Minor, vel Minoris ratio.

Confirmatio Rationis.

Conclusio syllogismi.

Amplificatio syllogismo postposita, ab obiectionis cuiusdam solutione.

Ratio Amplificationis, vel solutio.

A quo

Verba Ciceronis

id, quod certe calamitate docti memoria retinere debemus. Nam tum cum in Asia res magnas permulti amiserunt, scimus Romæ solutione impedita, fidem concidisse. Non enim possunt vna in ciuitate, multi rem atq; fortunas amittere, vt non plures secum in eandem calamitatem trahant.

*Conclusio solutionis,
vel Amplificationis.*

A quo periculo prohibete Remp. & mihi credite, id quod ipsi videtis, hæc fides atq; hæc ratio pecuniarum quæ Romæ quæ in foro versatur implicata est cum illis pecunijs Asiaticis, & cohæret, ruere illa non possunt, vt hæc non eodem labefactata motu concidant.

Conclusio argumentorum duorum generalis.

Quare videte, num dubitandum vobis sit omni studio ad id bellum incumbere: in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vestigalia maxima, fortunæ plurimorum ciuium cum Rep. defendentur.

Argumentum primum ab Honesto in comparatione.

Cicero.

Clementiæ tuæ factum, M. Marcello in restitutione

Verba Imitationis.

A quo periculo & nos & vos & liberos nostros, & totam Remp, scholam quoq; totā prohibete, & mihi credite id quod vos ipsi scitis omnes, literis edocti atq; linguis, hæc vestra improbitas, si quæ est vestra, in nostra exonerat capita, cum nostris ea est coniuncta periculis ac miserijs, Committi ea nunquam potest, ut nostra vobiscum non euertatur ac labefacteretur fortuna.

Quamobrem videte, quem vobis animum in seruandis legibus putetis suscipiendum, in quibus nominis vestri gloria, & salus omnium nostra, planè recumbere, ea niti, ac penè consistere tota videtur.

IMITATIO ARGUMENTORVM
duorum Ciceronianorum ab honestatis &
difficultatis locis in comparatione, quæ nos
tamen membris alicubi extendimus, ad venustam artis dissimulationem.

Argumentum primum, ab Honesto in comparatione.

Imitatio nostra.

Collatum tuum Princeps Iuli florentissimis Saxoniae lo-

*Conclusio solutionis,
vel Amplificationis.*

Conclusio argumentorum duorum generalis.

Verba Ciceronis.

tutione eius collatum, C. Cæsar, ipsis tuis bellicis factis maius est, argumento eo, quod laudes bellicæ cum alijs communes sunt, hoc vero clementiæ & restitutionis factum, tuum totum & proprium est.

Tractatio Argumenti.

Argumenti Tractatio Enthymematica est, constans Antecedente & consequente, nisi quod Enthymematis consequens, quodam oratorum more, Antecedenti Enthymematis præmittatur, ad hunc modum.

Bellicæ laudes communes sunt cum alijs, sed hoc restitutionis seu clementiæ factum, totum est tuum & proprium. Ergo bellicis rebus maius & gloriosius.

Soleo sæpe ante oculos ponere, idq; sæpe crebris vsurpare sermonibus, omnes nostrorum Imperatorum, omnes externarum gentium, potentissimorumq; populorum, omnes clarissimorum Regum res gestas cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellicorum posse conferri, nec vero disiunctissimas terras citius passibus cuiusquam potuisse peragrari, quam tuis, non dicam cursibus, sed victorijs illustratæ sunt: Quæ quidem ego nisi tam magna esse fatear, ut ea vix cuiusq; mens aut cogitatio capere possit, amens sim. Sed tamen sunt alia his maiora.

Consequens Enthymematis cuius sententia brevis & dialectica: Hac tua clementia facta bellicis laudibus maiora sunt. Tecta et invelata sententia ista, occupatione, comparatione & atologia.

Verba Imitationis.

niæ locis beneficium fœlicissima scholæ publicæ instauratione, omnibus bellicis maiorum tuorum factis, maius est, argumento eo, quod bellicæ maiorum laudes cum alijs communes, perpauca regiones, hoc vero factum tuum totum, & ad omnes regiones diffusum sit.

Tractatio Argumenti.

Argumenti tractatio, eadem Enthymematica est, constans antecedente & consequente, hisce tamen partibus similiter ad iustam & veram Imitationem immutatis.

Multas Iuli Princeps Ducum fortissimorum, tuorum in his terris maiorum victorias clarissimas ætas vetus vidit, nostra legit, quas contentionum magnitudine, præliorum varietate, bellorum dissimilitudine, linguis, atq; literis celebratas, priora tempora meminere, postrema nostra secula non reticuerunt. Nam ut quæ maiorum in bellis virtus, quod robur, quæ animi magnitudo fuerit, ad commendatum natalium horum splendorem animaduertatur, & cum temporis huius literario, & ad omnium memoriam duraturo facto conferatur, pauca quædam ex veterum annalibus reperendo strictim magis tangam quam dicam. Celebratur vetustate & rerum inprimis bellicarum varietate nobilissimum Longobardorum genus, à quo familiæ amplitudinem & virtutem expressam imaginem in tuos Iuli Princeps fœlicissime deri-

Consequens Enthymematis, cuius sententia brevis & dialectica: Hoc tuum fundata Academia factum omnibus tuorum maiorum factis bellicis maius est. Tecta & inuelata sententia ista, occupatione, comparatione ætiologia, Sed amplificata factorum bellicorum expositione, ad imitationis dissimulationem.

Verba Imitationis.

uatam excultæ hominum literis historiæ prodidere. Confederant illi in his olim locis ad medium Albis, sed cum dominandi libidine, & terrarum exterarum amore tenerentur, progressæ cum familijs suis, in terribilibus ipsis gentium migrationibus ad vltimas regiones bella maxima gesserunt, & factis ac victorijs clarissimis gloriam posteris suis incredibilem pepererunt. Occupauerunt eam pannoniæ oram, quæ Italiæ propior est, vbi cum annos quadraginta confedissent, pulcherrimis Italiæ conspectis vrbibus, harum splendore & magnificentia permoti, Italiam vltro ingressi sunt, & regnum in florentissima eius parte annos ducentos integros tenuerunt. Excellens inter alios virtus Egilolphi Regis Longobardorum quarti conspecta fuit. Is Exarchi Callinici graui iniuria irritatus, cum filiam liberare vellet & generum suum, quem Callinicus turpissime abduxisset, bellum aduersus Exarchum graue mouit, & primo ad urbem Patauium accessit, in quâ cum faces multas iaculatus esset, magna ædificiorum parte incendio consumpta, tandem vrbis facta est deditio. Rursus igitur cum ingenti hominum multitudine inde migrans, auxit Venetam urbem, postea Cremonem deleuit, & Mantuam propter factâ deditiorem seruauit. Deinde totius Italiæ sperans imperium, exercitum ad urbem Romam adduxit, quam annum integrum obsidione perpetua fatigauit, coactus tamen propter sæuissimam pestis luem instar hostilis exercitus omnia depopulantem copias inde suas abducere, maxime cum Georgij Romani episcopi intercederet deprecatio, cuius assiduis contentionibus, & penè quotidianis ac indefessis laboribus perfectum tandem fuit, vt Smaragdus Exarchum, Egilolpho filiam, generum, & urbem Parmam restitueret. Eadem ac penè maior ac conspectior virtus Ludebrandi, Longobardorum regis decimiseptimi fuit, qui cum gubernationis

Verba Imitationis.

tionis suæ initia gloriosissima haberet, sed Rauennam urbem, graui & longa obsidione frustra fatigaret, duxit exercitum in Tusciam, vbi Clusium vi captum crudeliter diripuit, Bononiam, Luiu forum, & vrbes multas alias occupauit, Carolo Martello difficile bellum gerenti, auxilia contra Sarracenos misit, Romanum etiam Pontificem, copias Spoletani Ducis contra sese adiuantem obsidione cinxit, & tandem exercitum ad Caroli Martelli seriam intercessionem haud inuitus dimittit. Ea Longobardorum virtus in posteros fœlicissimè propagata, continua deinceps serie excellens semper & admirabilis ad hæc nostra vsq; tempora floruit, quæ Henrici tandem patris inuictum in bellis robur, & penè formidabilem eius in florentissimis Saxonix locis potentiam admirata sunt. Nã cum propter fractas pacis conditiones Desiderium regem Longobardorum postremum, Carolus Imperator Leodium captiuum relegaret, & Longobardis in pristina sua Italia sede permanentibus præfides præficeret animosos, iustos, fortes, tui Iuli princeps generis illustratores, Adelbertus Hetrurix Marchio primus immortale contra Sarracenos nomen obtinuit, quorum ille tentatas aduersus Carolum Imperatorem immoderatas vires ferro compescuit, bello fatigauit ac fregit. Quem secuti deinceps longa successione bellis & victorijs in regno Italiae florentissimo Landebertus Tusciae Marchio, Sigisbertus Lucensium princeps, Azo primus Parmæ dominus, Marchio Canossanus, Azo Albertus primus Marchio Atestinus, Hugo Culmæ dominus, Aldobrandus Marchio Taruisianus, Azo secundus Marchio, Atestinus, incredibile dictu, quæ virtus, quod robur, quæ in prolatando Italiae regno ac imperio fœlicitas & potentia. Subegerat Sigisbertus Parmam, cœperat Azo terram Atestinam, expulerat Hugo Calabria gentem Græcam, donec Guel-

Verba Imitationis.

phus successor horum, virtute clarissima & formidabili princeps, Pado digrediens, materna Germaniæ regna Bauariam & Corinthiam regno Italiæ florentissimo adijceret. Inde vero progenerati primum heroes ac duces, totius Brunsvicensium ducum stirpis parentes, sed disseminata in successores auita & militari gloria, pugnis clarum & manu inter alios fortissimum historiæ celebrant Henricum Leonem principem, cuius inuicta in bellis virtus, & incredibilis contra hostem animus, cum terrori esset imperio, innumerabiles in Germaniæ oris strages edidit, Saxoniam inferiorem recuperavit, ditiones patri ademptas bellis repetiuit, Sclauos extirpauit, Fridericum Barbarosam Imperatorem grauissimè exagitauit. Longum foret, & nimis operosum, si in recensendis successorum Leonis gestis, familiæ facta ad tuos vsq; Iuli princeps parentes deductione nauare iustam operam vellem.

Sed quæ

Consequens Enthymematis vel (quod fortassis idem erit) ratio antecedentis. Nam hoc clementiæ factum tuum est. Sed amplificata antithesi. Nam bellica facta cum alijs sunt communia, clementiæ vero huius factum propriè tuum est. Propositio itaque hac est prima antitheseos partis. Nam bellica laudes cum alijs communes sunt.

Ratio propositionis, prima antitheseos partis.

Verba Ciceronis.

Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easq; detrahere ducibus, communicare militibus, ne propriæ sint Imperatorum.

Et certè in armis militum virtus, locorum oportunitas, auxilia sociorum, classes, comatus multum iuuant. Maximam vero partem

tem

Verba Imitationis.

Sed quæ Ottonum, Henricorum, & tui in primis non ita longè defuncti parentis, bellicosissimi mortalium herois ac ducis formidabilis contra hostem virtus, & in propulsandis periculis acer impetus, mota temporibus illis certamina, importata terris regna, fatigata multorum imperia, suprâ quam oratione potest exponi, edocuerunt. Innumera illa tuorum Iuli princeps maiorum in singulis fortitudinis bellicæ ex veterum repetita monumentis documenta, maiora sunt longè quam vt mente capi, vel cuiusquam exhauriri oratione possint. Sunt enim conseruata primum bellicis regna, & hominum amplificata sanguine imperia: sed tamen maiora sunt nostra, maiora princeps Iuli attentata tua in renascentium velut studiorum conseruando flore opera ac molimina. Hæc per clarissimum nuper dispersa terrarum orbem, singulorum etiam examinata iudicio maiora celebrantur.

Verba Imitationis.

Nam bellicæ res, præterquam quod cum socijs communes, fortunæ & euentuum dubiorum participes Imperatorum propriæ esse non putentur, etiam paruis terrarum & regionum spatijs circumscribuntur, solum vt ex ea orbis parte quam post grauem allatam cladem immensis subiugauerunt sudoribus, & tot collectis fatigauerunt exercitibus, suam Imperatores habere delectationem videantur.

Nemo enim nisi qui tenetur, illis paret, paret qui regionem inhabitat, qui se obstrictum beneficio eorum indicat, reliqui quoniam in potestate se hæere alte-

Consequens Enthymematis, vel (quod fortassis idem erit) ratio antecedentis cuius sententia breuis: Nam hoc fundata schola factum tuum est, & diffusum ad omnes regiones. Sed amplificata antithesi tali. Nam facta bellica cum alijs sunt communia, & regionis tantum vnius fundata vero schola factum proprie tuum est & diffusum ad regiones omnes. Propositio itaque hæc est primæ antitheseos partis. Nam bellica facta cū alijs sunt communia & regionis ferme vnius.

Ratio propositionis primæ antitheseos partis.

Verba Ciceronis.

tem quasi suo iure fortuna sibi vendicat. & quicquid prospere gestum est, id penè omne ducit suum.

*Propositio alterius
partis antitheseos. Sed
hoc restitutionis factū
tuum est.*

At vero huius gloriæ C. Cæsar quam es paulo ante adeptus socium habes neminem. Totum hoc quantumcunq; est quod certe maximum est, totum est inquam tuum. Nihil enim tibi ex ista laude Centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. Quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina fortuna, in istius se societate gloriæ non offert, tibi cedit, tuam esse totam & propriam fatetur.

*Ratio propositionis
alterius antitheseos
partis.*

Nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur.

AR.

Verba Imitationis.

alterius sciunt, alios qui sibi quid mandare aut imperare debeant haudquaquam patiuntur.

At vero tua Iuli princeps studijs allata renascentibus gratia, ab hominum plane stridoribus & militum turbidis motibus alienissima, ea haudquaquam certis & numeratis terræ spatijs alligata, quascunque orbis vniuersus capit regiones peragrat, syluas perreptat, ciuitates perambulat, flumina transnatat, maria pernauigat, vt si quis exterus etiam huius beneficio domicilij benignitate Iuli princeps tua exstructi, artem hic abundè didicit, eam vbiq; terrarum quocunq; tandem abreptus seu delatus fuerit, ingeniosissimè postea profiteatur. præclarissimè certè gnarus, tui princeps editi in his locis facti, tui in se officij, tui in se & totas orbis ciuitates ac regiones amplissimi beneficij,

Biantem itaque philosophum cum ab eo quantum esset, cur bonis quorum habere ipse copiam dicebatur post expugnatam terram relictis aufugeret, sapientissimè ferunt respondisse, gestare se bona secum omnia, quæ vbiq; terrarum quò veniret, quando & quibus vellet erogare posset. Pectore enim gestabat illa, non oculis visenda, sed animo aestimanda.

Abit abit literaria gratia ad extremas vsque terrarum partes illa, & quæcunq; reperit suam efflagrantia opem loca, vasta, deserta, immania, ingeniorum & cultuum expertia, ea diuite pabulo nutrit, pascit, & quibuscunque potest animi bonis verissimis in sui immortalẽ gloriam excolit.

*Propositio alterius
partis antitheseos. At
beneficium hoc tuum,
omnes regiones per-
tingit.*

*Ratio propositionis
alterius antitheseos
partis, sed amplificata
Expulsionis.*

Expolitio.

K

AR

Verba Ciceronis.

ARGUMENTVM SECVNDVM AB

vtili in comparatione.

Cicero.

Tractatio argumenti Enthymematica est. Res bellicæ faciliores sunt, clementiæ facta difficiliora. Ergo factum restitutionis huius maius & gloriosius.

Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, sed tamen ea vicisti quæ & naturam & conditionem ut vinci possent habebant.

Nulla enim est tanta vis, tanta copia quæ non ferro ac viribus debilitari frangiq; possit.

Verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem non modo extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem. Hæc qui faciat, non ego eum summis viris comparo, sed similimum Deo iudico.

Itaq;

Antecedens Enthymematis: Clementiæ facta difficiliora sunt. Sed amplificata antithesi, cuius pars secunda propositio prima. Bellica facta faciliores sunt.

Ratio prima antitheseos partis.

Propositio alterius partis antitheseos.

Verba Imitationis.

*ARGUMENTVM SECVNDVM AB
utili in comparatione.*

Imitatio nostra.

Tractatio argumenti Enthymematica est. Belli-
ca maiorum tuorum facta Iuli princeps faciliora sunt,
At hoc tuum in Scholæ publicæ instauratione factum
difficilius. Ergo & maius.

Dilatauerunt Iuli princeps maiores tui infinitis
laboribus & bellis propè formidabilibus regna, ampli-
ficauerunt sudoribus imperia, sed hæc ea sunt, quæ
conflagrante aliquando toto mundi amplissimo do-
micilio in cineres vna conuertentur, vix vt apud ho-
mines etiam in vita horum longa tenax & diuturna
memoria resideat.

Leue enim & valde lubricum mundi bonum est,
quod vna cum homine statim post huius corporis
mortalem ac breuem dissolutionem interit, Seneca in-
primis verissimè alleuerante, bona mundi fluxa o-
mnia, aut ex seipsis veterascere aut luxu suorum do-
minorum consumi, aut ab extraneis dolo ac violentia
diripi.

Verum beneficij allati literarij quod posterita-
tis causa repertum subsidio debet esse obliuioni, illu-
stris & immortalis possessio, neq; æui termino claudi-
tur, neq; hominum abolenda memoria consumitur,
sed vsq; dum viget animus, in quo immortalitatis viua
documenta ipsi crediderunt veteres, etiam extra cor-
pus cœlestium rerum versatione illæsa planè ac inter-
rupta persistit & manet. Fulcitur enim literis æter-
nitas, reliqua mortem & sui tristem dissolutionem ve-
rentur.

Regna Iuli princeps, bellis primùm à maioribus
parta sunt, à te parta regna facta diuino & immorta-
li tuo ritè conseruata, stabilita, & amplificata, impe-
ria ma-

*Antecedens Enthyme-
matis antithesi ampli-
ficatum cuius hac pri-
ma pars seu propositio.*

*Ratio prima antithe-
seos partis.*

*Propositio alterius
partis antitheseos.*

*Ratio alterius partis
antitheseos.*

*Expolitio vel repetitio
eiusdem assumpta ad
amplificationem.*

Verba Ciceronis.

Consequens Enthymematis, cuius sententia: Ergo clementia tua facta maiora sunt.

Amplificatio Enthymemati tractato postposita: cuius hac propositio.

Itaq; C. Cæsar bellicæ tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem non solum nostris, sed penè omnium gentium literis atq; linguis, nec vlla vnquam ætas de tuis laudibus conticescet. Sed tamen eiusmodi res nescio etiam quomodo dū leguntur obstrepi clamore militum videntur & tubarum sono. At vero cum aliquid clementer, mansuete, iuste, recte, moderate, sapienter factum, in iracundia præsertim quæ est inimica consilio & in victoria, quæ natura insolens & superba est, aut audimus aut legimus, quo studio incendimur non modo in gestis rebus sed etiam in fictis, vt eos sæpe quos nunquam vidimus diligamus. Te vero quem præsentem intuemur, cuius mentem sensusq; & os cernimus, vt quicquid belli fortuna reliquū Reip. fecerit id esse saluum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studijs prosequemur? qua benevolentia complectemur?

Parietes mediustidius C. Cæsar vt mihi videtur huius curiæ, tibi gratias agere gestiunt. Quod

Verba Imitationis.

ria maximis viribus à maioribus condita, à te clario-
ra illustrioraq; reddita, Gentes ab illis populi natio-
nes aggregatae & conuocatae, à te salutare mundo ar-
tes terris omnes inuectae & introductae, quarum nulla
est omnino, quae non mirificos sui fructus, nec amplissi-
mas vitae hominum foelicitates & opes polliceatur.
Quae nunc singula Iuli princeps diffusa in regionis
tuae labantia & aegra membra, beneficio solum tuo
immortali & diuino restituantur, te respirant autore,
te conualescunt duce, tua perfruuntur ope & leuatione.

Itaq; bellicae maiorum laudes, fructibus quidem
celebrabuntur illis, quos mortalis ac fugacis vitae v-
sus habere cum alijs communes potest. At vero cum
religionem, leges, disciplinas, mores, medicinam, o-
rationem, opes, quas nulla conficiet vetustas terris
solum inuexisti, quibus id Iuli laudibus efferemus?
quibus studijs prosequemur? qua beneuolentia com-
plectemur?

Religio mehercule & ipsa nuper beneficio inue-
cta tuo sancta artium salutarium copia gestiens tibi
gratias agit princeps.

K 3

Quod

*Consequens Enthyme-
matis cuius sententia:
Ergo schola publica
instauratio, factum
maius.*

*Amplificatio Enthymematis tractato post-
posita: cuius hac pra-
positio.*

Verba Ciceronis.

*Ratio propositionis
vel Amplificationis.*

Confirmatio rationis.

*Conclusio amplificati-
onis.*

Quod breui tempore futura fit illa auto-
ritas in his maiorum suorum & sedibus suis.

Equidem cum M. Marcelli viri optimi, &
commemorabili pietate ac virtute præditi
lachrymas modo vobiscum viderem, omnium
Marcellorum meum pectus memoria effodit:
quibus tu etiam mortuis M. Marcello conser-
uato dignitatem suam reddidisti, nobilissi-
mamq; familiam iam ad paucos redactam pe-
nè ab interitu vindicasti.

Hunc tu igitur diem tuis maximis & in-
numerabilibus gratulationibus iure antepo-
nes.

Verba Imitationis.

Quod in hisce docentium subsellijs certum præsidium, & sui firmam immortalitatem sperare ausa sit.

Equidem lugebant orbitatem, & tristem sui desertionem exosa terris artes, mundi atate postrema & vltima, vbi cummulata barbarie sub ipsa rerum fatali concussione, infinitis bellorum motibus omnia exardescabant, neq; vllum bonis literis locum homines relinquebant, à quo se tristi & graui interitu, ope & beneficio tuo præclarissimè vindicatas, maximoperè iam exultant illæ, lætantur, gestiunt, & significationem mentis suæ gratam ac debitam perspicua admiratione & in vulgus ac publicum emissa oratione edunt.

Quamobrem memoriam Iuli princeps beneficij huius tui, beneuolentia colemus sempiterna, non solum dum viuus artubus spiritus infederit, sed etiam cum post mortem immortalitatis & suæ erga te egregiæ voluntatis documenta ipse animus ostenderit, in referenda autem gratia hoc tibi repromittimus, semperq; præstabimus, nobis neque in salutaribus prouehendis artibus diligentiam, neque in conatibus iuuantis fidelissimis tuis fidem, neque in tuenda scholæ autoritate animum, nec in perfruendo labore industriam, nec in dignitate augenda & amplificanda tua gratam animi beneuolentiam defuturam esse. Atque hæc cura princeps infixæ erit animis nostris sempiterna ac perpetua, vt cum tibi qui numinis apud nos in terris vicem geris, tum vero posteris tuis & successoribus loco ac fortuna dignissimi videamur, qui neque vestram autoritatem sine conseruatis in his terris literis teneri potuisse, ipsi scholæ publicæ augustissima erectione iudicauistis.

FOR-

*Ratio propositionis
vel amplificationis.*

Confirmatio rationis.

Conclusio amplificationis.

FORMA ORATORIA ARGUMENTI A CAUSA EFFICIENTE, IN EFFIGURATIONE Argumenti nostra, ad Ciceroniani argumenti pro Tito Annio Milone Imitationem conficta, & membrorum ac periodorum accurata serie dilatata, in vsum perorandi ciuilem & publicum.

L

GENE.

Verba Ciceronis.

*GENERALIS PRAEMISSA ARGVMENTI
ex observatione delineatio.*

Cicero.

Clodij caedes minus indigne ferenda, argumento eo, quod Clodij occisi gratiam, dii immortales ipsi deberi sibi putent.

Tractatio Argumenti.

Argumenti tractatio Enthymematica est, antecedente constans & consequente, in hunc modum: Debetur gratia tanti beneficij dijs ipsis immortalibus. Ergo dii omnino ipsi, Reipub. pestem ac perniciem Clodium, per Milonem deletum & extinctum voluerunt.

Argumenti seu Enthymematis amplificatio, diductio, elongatio, in figura primò consistit Expolitionis, qua consequens Enthymematis verbis expolitur & immutatum ter quaterue repetitur. Deinde in consequentiae probanda ratione, hoc est probando occulto illo Deorum immortalium consilio & auxilio. Postremo in quadam necessaria occupatione, eiusq; copiosa solutione. Ex his vero amplificationum tribus praecipuis figuris, membra & periodi tractati huius argumenti, certa artis forma continuabuntur: cuius continuationis ratio in chartae huius margine legatur.

Sed

Verba Imitationis.

*GENERALIS PRAEMISSA ARGVMENTI
ex observatione delineatio.*

Imitatio nostra.

Principis collatum florentissimis Saxoniae locis beneficium in felicissima scholae publicae instauratione omnem excedit orationis magnitudinem, argumento eo, quod non hominis hoc inuentum, sed ab ipso immortali Deo profectum, & Herois animo singulariter instillatum sit.

Tractatio Argumenti.

Argumenti tractatio eadem Enthymematica est, antecedente constans & consequente, in hunc modum: Non hoc hominis inuentum est, sed verè ab ipso Deo profectum consilium. Quare vis diuina & caelestis fuit, quae literarum domicilium extruxit, & honestas omnis generis disciplinas florentissimo Saxoniae loco intulit. Enthymematis seu argumenti amplificatio, diductio, elongatio, praeter figuras quasdam leues insertas alias, in figura similiter consistit Expolitio- nis, qua consequens Enthymematis verbis expositum & immutatum bis repetitur. Deinde in consequentiae probanda ratione, hoc est probando Dei immortalis consilio ac beneficio. Postremo in quadam superaddita necessaria occupatione, eiusque copiosa solutione. Ex his vero amplificationum tribus praecipuis figuris membra & periodi nostri tractati argumenti, certa artis forma similiter continuabuntur, quam continuationis rationem legendi item studiosi in chartae huius margine.

Saepe cogito Heroum illustres motus quibus imperia ipsi condiderunt, & incredibiles rebus publicis felicitates attulerunt, caelestes omnino & diuinos fu-

L ij

ille,

*Exordium argumenti
seu Enthymematis
praemissum.*

Verba Ciceronis.

Antecedens Enthymematis. Debetur Clodij occisi gratia Dijs immortalibus.

Sed huius beneficij gratiam Iudices, fortuna populi Romani, & vestra felicitas, & Dijs immortales sibi deberi putant.

Ratio antecedentis. Nam ita sentiunt omnes, non omnino impij & prophani homines.

Nec vero quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui nullam vim cœlestem existimat numenue diuinum, quem neq; imperij vestri magnitudo, neq; sol ille, nec cœli & signorum motus, nec vicissitudines rerum atq; ordines mouent: neq; id quod maximum est maiorum sapientia, qui sacra, qui ceremonias, qui auspicia, & ipsi sanctissimè coluerunt, & nobis suis posteris prodiderunt.

Et est profecto illa vis, neq; in his corporibus, atq; in hac imbecillitate nostra inest quiddam, quod vigeat ac sentiat, & non inest in hoc tanto naturæ tam præclaro motu, nisi forte idcirco non putant, quia non apparet nec cernitur, perinde quasi nostram ipsam mentem qua sapimus, qua prouidemus, qua hæc ipsa agimus ac dicimus, videre aut plane qualis aut vbi sit sentire possimus.

Consequens Enthymematis. Ergo vis hæc cœlestis, Clodium pernitiem populi voluit per Milonem deleri.

Ea vis ea est igitur, quæ sæpe incredibiles huic vrbi foelicitates atq; opes attulit, quæ illam pernitiem extinxit ac sustulit, cui primo mentem iniecit, vt vi irritare, ferroq; laceffere fortissimum virum auderet, vincereturq; ab eo,

Verba Imitationis.

isse, gesta quoq; elato & magno animo, excellenter & fortiter, maiori quodam numine gubernari.

Quamobrem quis est mortalium, qui si beneficium florentissimis Saxoniae locis per laudatissimum Heroa ac principem in vera salutarium artium conseruatione postrema mundi aetate collatum, tacitus secum consideret, non hominis hoc inuentum, sed à Deo optimo maximo singulariter profectum, ipse non dicat aut sentiat.

Neq; vero quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui motus illustres nullos, nullos afflatus diuinos existimat, quem nec facta nec gesta nec admiranda virorum principum opera mouent, idq; quod maximum est, parta labore regna, & conseruata sanguine imperia, in quibus si numen, si vis caelestis aliqua an nulla in his, quae mentis conatum, animi spiritum excelsum & praclarissimum rationis motum exposcunt vel arguunt.

Ea vis ea est igitur, quae domicilium literarum clarissimum extruxit, studiorum palæstram Academiam fundauit, terris literas intulit, bella deleuit, motus compescuit, quae mentem primo Herois percelluit, edocuit, vt religionis discussis tenebris, & funestis irarum ac motuum extinctis facibus, coloniam huc de-

Antecedens Enthymematis. Dei hoc inuentum est.

Ratio antecedentis. Nam ita omnes qui vim diuinam magnè estimant sentiunt.

Consequens Enthymematis. Vis ergo diuina & caelestis ipsa, artes & literas florentissimo Saxoniae loco intulit.

Verba Ciceronis.

ab eo, quem si vicisset, habiturus esset impunitatem & licentiam sempiternam,

Expositio, Amplificatio prima, qua consequens Enthymematis verbis subinde commutatis repetitur, merismo inuestita, Non est humano sed Deorum immortalium consilio hoc actum.

Non est humano consilio, nec mediocri quidem Iudices Deorum immortalium curares illa profecta. Religiones me herculè ipsæ aræq; cum illam beluam cadere viderunt commouisse se videntur, & ius in illo suum retinuisse. Vos enim Albani tumuli atq; luci, vos inquam imploro atq; obtestor, vosq; Albanorum obrutæ aræ sacrorum populi Romani focia & æquales, quas ille præceps amentia cæcis prostratisq; sanctissimis lucis substructionum insanis molibus oppresserat: Vestrae tum aræ, vestrae tum religiones viguerunt. Vestra vis valuit quam ille omni scelere polluerat: Tuq; ex tuo edito monte Latialis sanctè Iupiter, cuius ille lacus, nemora, finesq; sæpe omni nefario stupro & scelere macularat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuistis, vobis illæ, vobis vestro in conspectu feræ sed iustæ tamen & debitæ persoluuntur pœnæ.

Consequētia probatio, qua est amplificatio secunda. In hac amplificatione, argumentis probat aliquot collectis, Deorum immortalium consilium: Non enim casu videtur factum, quod in sacrario bonæ Deæ Clodius constiterit, et in eo vulnus primò acceperit.

Nisi forte hoc etiam casu factum esse dicimus, vt ante ipsum sacrarium bonæ Deæ quod est in fundo T. Sestij Galli, in primis honesti & ornati adolescentis, ante ipsam inquam bonam Deam, cum prælium commisset, primum illud vulnus accepit, quo teterrimam mortem obiret, vt non absolutus iudicio illo

Verba Imitationis.

duceret artium ingenuarum, & disciplinarum honestissimarum, quarum beneficio immedicabile hisce terris exortum vulnus sanaretur, pax, religio, fortuna, libertas, vita restitueretur.

Non est humano consilio, nec mediocri Dei immortalis cura ac munere, res illa profecta. Religio mercuriale & tellus deserta studijs ipsa, quam bella quondam funesta inquietarant, incendia grauissima extinxerant, dissidia euerterant, ab his se malis & periculis admiranda Dei ope ereptam ac liberatam ingenuè confitetur.

Nisi forte literariam causam à mente diuina ipsa temerè deserui, impudenter asseramus. Id quod pronuntiatiuæ fœdum, & à Christiana veritate longe est alienissimum. Nam quod non est commercium cum literis laudatæ in terris ecclesiæ, cui ille cœli & rerum dominus, mundi amplissimi architectus Deus adest semper, & hanc consilio admirando suo, amore erga eam permotus inenarrabili per effusum in ara crucis
rosæum

Expolitio, amplificatio prima, qua consequens Enthymematis Verbis immutatis repetitur.

Consequentia probatio, qua est amplificatio secunda. In hac vero amplificatione, cum rationem consequentia, hoc est Dei singulare consilium argumentis duobus probemus, Primum argu-

Verba Ciceronis.

illo nefario videretur, sed ad hanc insignem
pœnam referuatus.

*Secundum argumen-
mentum seu secunda
consequencia probatio,
Nec casu, factum quod
in funere omnibus pla-
ne exequijs priuatus
sit.*

Nec vero non eadem ira Deorum hanc e-
ius satellitibus iniecit amentiam vt sine ima-
ginibus sine cantu atq; ludis, sine exequijs,
sine lamentis, sine laudationibus sine funere,
oblitus cruore & luto spoliatus, illius supre-
mi diei celebritate quam concedere etiam
inimici solent ambureretur etiam abiectus.

Non fuisse credo fas clarissimorum viro-
rum formas illi teterrimo parricidæ aliquid
decoris afferre, neq; vlllo in loco potius mor-
tem eius lacerari, quam in quo vita esset dam-
nata.

roscum

Verba Imitationis.

roseum sanguinem ostenso, conseruat, tuetur, defendit, protegit. Quare vt quale esset filio Dei erga vtrūq; genus desiderium, & quæ vtriusque indissolubilis coniunctio ac copulatio, sancta & erudita doceret antiquitas, pictura quondam illustri, in templis publicis gratias Musis adiungebat, ad eius quæ est inter illas firmissimæ consociationis illustrem testificationem. Et ostendit continua docentium series, & propagata patrum veterum successio, neque sine scholis ecclesiam fuisse, neque illam sine literis conseruatam & propagatam esse. Primæ patrum familiæ, quarum aliquæ post primam mundi eersionem, & tristem terrarum factam inundationem celebratæ sunt, prorsus scholæ fuerūt. Deinde cum lex per Moisen Dei inuictum ministrum temporis successione daretur, clarum de scholis mandatum additum fuit, & iam tum constitutum, vt ad tabernaculum ipsum, cœtus assideret discipulorum ac docentium. Postea cum abiecta doctrina, literarum studia sacerdotes negligerent, & sacrosancta à Deo accepta oracula, opinionum falsis commentis polluerēt, Prophetæ salutares, diuinitus excitati, & ad docendum in terris populum missi sunt, qui magnas discipulorum cateruas secum traxerunt, vt tantū auditorum agmen viri Dei Elisæi fuerit, vt cum antea in Hiericho habitassent, propter loci eius angustiam, alias sedes ad Iordanem quæreresint coacti. Inde vero alij alios continua successione tanquam in acie secuti, literis conseruatis, doctrinam ipsi plantauerunt, & de rebus ad salutem maximè animarum pertinentibus populum grauissimè informauerunt. Excellenti animo, & incredibili Spiritus robore, Elias Propheta fuit, qui postquam annos viginti penè totos docuisset, successit Elisæus ipsi, qui annos circiter 70. gubernauit ecclesiam in Israel. Deinde abductis decem tribubus, Esaias successit in Iuda, qui annos fere 80. docuit, & regnum

M

ingen-

mentum seu primam consequentia ratione qua negotio nostro videbatur accommodatissima, nostro quodammodo, accurata membrorum serie copiosius dilatauimus, donec absoluta eius tractatione, ad ipsum Cicero- nem rediremus.

Verba Imitationis.

ingentibus bellis liberavit. Eum Ieremias insecutus, annos 40. pene integros concionatus est. Quod vero admiratione dignum est, in exilio ipso Babylonico, cum Iudaici reges non aluissent doctores, Daniel Propheta, omni Chaldæorum doctrina informabatur, quem reges postea omnium maximi, auditores & discipuli, non paruo admodum tempore audiuerunt. Exorti sunt post Danielem, Nehemias, Esdras prophetae, qui Alexandri Macedoniæ regis ætatem attigerunt. Post Alexandrum, paulò ante Machabeorum tempora, cum permoti ambitione pontifices, pontificatus à vicinis regibus pecunijs redimerent, ideoq; collapsis scholis doctrinam superbè negligerent, & vulnus religioni tristissimum afferrent, doctrinam restituerunt Machabæi. Sed paulò post, cum impudentia cresceret in immensum in ipso populo, & Prophetarum repudiatis monumentis, studia prophana, Græcorum philosophia, & horribiles in cœlesti doctrina tenebræ ingruerent, tandem admirabili Dei beneficio ad doctrinæ purioris salutarem conseruationem, scholæ rursus per Ioannem Baptistam, Christum, & Apostolos felicissimè constitutæ & restauratæ sunt, quos scholasticos cœtus fouisse & aluisse, Euangelij historia non obscure testatur. Et disertè Irenæus scribit, Ioannem habuisse assiduos auditores multos, & in his Polycarpum, qui morem acceptum à præceptore, Smirnæ solitus fuerit obseruare. Frequentissimum Gymnasium Alexandria fuit, ex quo lumina ecclesiæ præstantissima multa exorta sunt, & pastores indè ad vicinarum regionum ecclesias transmissi. Collegia etiam, vt inchoatæ ab Apostolis scholæ conseruarentur, in ecclesijs Episcoporum instituta & victu donata sunt. Neq; enim quid ferè aliud collegia, quàm scholæ fuerunt, in quibus vt ocium & sumptus necessarij discentibus abundè sup-

Verba Imitationis.

dè suppeditarentur, amplissimi olim singulis collegijs
reditus constituti sunt. Animadvertit enim pia &
gravis antiquitas, per scholarum imprimis piam & sa-
lutarem gubernationem, veræ & incorruptæ cœlestis
doctrinæ, & artium ecclesiæ necessariarum conserua-
tionem stabiliri. Nam sunt scholæ pars quædam e-
uangelici ministerij, & sunt cœtus discipulorum ac do-
centium diuinitus instituti, vt sint seminaria ecclesiæ,
& vt discant ac doceant veram de Deo doctrinam, li-
teras, linguas, & artes, ad explicationem cœlestis do-
ctrinæ, & ad conseruationem Reipub. & vitæ commu-
nis ac priuatæ necessarias. Quæ nunc eò commemo-
ro, vt cum firmissimam arctissimamq; quæ est scholis
seu literis cum ecclesia coniunctione oratione demon-
strauero, plane ipsi perspicere possitis, illustre princi-
pis florentissimis Saxonix locis in exædificata nuper
schola publica collatum beneficium, vnde nunc fru-
ctus & surculos contigit decerpere, consilio non huma-
no sed occulto omnino, & cœlesti summi & immorta-
lis Dei munere profectum esse.

M 2

Dura

Verba Ciceronis.

Tertia consequentia probatio, seu argumētum tertium, deorū immortalium probās voluntatē, constans Enthymemate cuius antecedēs, copulatiuis amplificatū est. Fortuna populi Romani propter Clodiū semper intolerabilis fuit, Et fuit Clodij vita sceleratissima, Et nemo turbatē eū potuit reprimere.

Secunda copulatiua in qua facinora recenset Clodij.

Tertia copulatiua, nemo furoribus eius praterquam Milo obstat.

Dura mihi mediis fidius iam fortuna populi Romani & crudelis videbatur quæ tot annos illum in hanc rempublicam insultare videret & pateretur: polluerat stupro sanctissimas religiones, senatus grauissima decreta perfregerat.

Pecunia se palam iudicibus redemerat, vexarat in tribunatu senatum, omnium ordinum consensu pro salute Reipub. gesta resciderat, Me patria expulerat, bona diripuerat, domum incenderat, liberos coniugem meam vexauerat, Cn. Pompeio nefarium bellum indixerat, magistratum priuatorumque cædes effecerat, domum mei fratris incenderat, vastarat Hetruriam, multos sedibus ac fortunis eiecerat, instabat, vrgebat, capere eius mentiam ciuitas, Italia, prouinciæ regna non poterant. Incidebantur iam domi leges quæ nos nostris seruis addicerent, nihil erat cuiusquam, quod quidem ille adamasset, quod non hoc anno suum fore putaret.

Obstabat eius cogitationibus nemo, præter illum Milonē ipsum, qui poterat obstare. Cn. Pompeium nouo reditu in gratiam quasi deuinctum arbitrabatur, Cæsaris potentiam suam potentiam esse dicebat, bonorum animos in meo casu contempserat, Milo vnus vrgebat.

Hic Dij

Verba Imitationis.

Dura mediis fidius fortuna terrarum harum & crudelis videbatur, quæ tot annos insultat Papam, laruam ac beluam Romanam, Aquilonis regem, & plebis deuotorem, in aris & focis ipsis suis coram videre ac inspectare, & imperium ganeonis turpissimi, humeris impositum amœnissimæ regionis, miserè ferre coacta fuit.

Fœdauerat ille opinionum turpissimis commentis sanctissimam religionem, stercorea traditionum & superstitionum humanarum venditauerat, Christum & Christi in his terris beneficium extenuauerat, cultus diuinos peruerterat, corruperat, mutilauerat, alios vero pro suo arbitrato cumulauerat, sanxerat tristissimam carnificinam conscientiarum, damnauerat coniugium, transformauerat in politiam Christi æternum & spirituale regnum, sanctorum inuocationes stabiliuerat, libidines impunè exercuerat, ceremonias veteres immutauerat.

Obstabat eius cogitatis furoribus nemo, præter hunc ipsum nostrum incredibili animi magnitudine heroem ac ducem, qui solus poterat obstare: Reliqui neque hiscere neque musitare quidem ausi fuerunt.

M 3

Hic men-

Secunda consequentia probatio, seu argumentum secundum, Deo probans immortalis consilium, cõstans Enthymemate, cuius antecedens amplifitatum est copulatiuis. Prima copulatiua. Propter Papam crudelis harum terrarum conditio fuit.

Secunda copulatiua. Et contaminauerat Papa regionem omni scelere.

Tertia copulatiua. Potuit nemo Papa cogitatis furoribus obstare.

Verba Ciceronis.

Consequens Enthymematis. Ergo Dij immortales tollere plane eum, de Vita Milonem voluerunt. Amplificatum occupatione & eius solutione.

Rationes solutionis multa. 1. habuisset enim suos consules Milone occiso Clodius. 2. fuisset Clodius Prætor.

Ratio alia.

Hic Dij immortales vt supra dixi mentem dederunt illi perdito ac furioso, vt huic faceret insidias, aliter perire pestis illa non potuit: Nunquam illum Respub. suo iure esset vltata, Senatus credo prætorem eum circumscripsisset, ne cum solebat quidem id facere in priuato eodem hoc aliquid perfecerat. An consules in prætore fortes fuissent?

Primum Milone occiso habuisset suos consules. Deinde quis eo prætore consul fortis esset, per quem Tribunum virum consularem crudelissimè necatum esse meminisset? omnia possideret, teneret lege noua, quæ est inuenta apud eum cum reliquis legibus Clodianis, seruos nostros libertos suos fecisset. Postremo nisi eum dij immortales in eam mentem impulissent, vt homo effoeminatus fortissimum virum conaretur occidere, hodie Rempub. nullam haberetis.

At ille prætor, ille vero consul, si modo hæc templa atq; ipsa mœnia stare eo viuo tam diu & consulatum eius expectare potuissent.

Ille

Verba Imitationis.

Hic mentem primo Herois grauissimi, mortali-
um facile vniuersi terrarum orbis summi, coeleste &
sanctum numen impulit, vt post repurgatam ecclesie
doctrinam, & allatam terris doctrinae purioris lucem,
scholam quoq; publicam praesidio armatam litera-
rum, & varietate instructam virorum lectissimorum,
per quos gloriae aliquando suae vberimos ipse fructus
peteret, expensis longè grauissimis, seculi per motus
furore & iniquitate conderet, fundaret, instauraret,
extrueret, aliter pestis illa excindi, arae conseruari,
larua ac belua in totum extirpari non poterat.

Absumpserat credo doctrinae in his terris corru-
ptae partem aliquam, pure docentium pastorum fide-
le & acre studium, sed corruptelam quae multorum
adhuc adhaescebat animis omnem delere, euerte-
re, eximere haudquaquam illi poterant.

An vero in gerendo munere tam praeclearo, imma-
ni pellendo Antichristo, subuertendo in totum idolo,
coercendo traditionum humanarum fermento, ter-
rarum harum siue extra siue intra urbem doctores sa-
tis fuissent fortes, vbi maximè ad explicandas religio-
num controuersias, & repurgandas ecclesiarum for-
mas, sicut linguarum atq; artium, ita docentium & di-
scientium quoq; infinita varietate opus est?

Nam

*Consequens Enthyme-
matis. Ergo principii
mentem, ad furiam
domandam, religio-
nem expurgandam,
scholam publicam in-
staurandam, Deus i-
pse edocuit, inflexit.*

*Occupatio, qua est ar-
gumenti nostri ampli-
ficatio postrema &
tertia. At vero pote-
rant emendare reli-
gionem, ciuitatum pa-
stores, sine schola pu-
blica instaurazione.*

*Solutio occupationis,
cuius propositio. Non
id solum prestare ec-
clesiarum pastores po-
tuerunt.*

Verba Ciceronis.

Ratio alia, amplificata Varijs accensa curia circumstantijs.

Amplificatio citata rationis a circumstantijs multis & Varijs.

Ille denique viuis mali nihil fecisset, qui mortuus vno ex suis satellitibus Sexto Claudio duce curiam incenderit.

Quo quid miserius? quid acerbius? quid luctuosius vidimus? templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilij publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab vniuerso populo Romano concessam vni ordini, inflammari, excindi, funestari. Neque id fieri à multitudine imperita (quanquam esset miserum id ipsum) sed ab vno, qui cum tantū ausus sit vltro pro mortuo, quid signifer pro viuo non esset ausus? In curiam potissimum abiicit, vt eam mortuus incenderet, quam viuis euerterat, & sunt qui de via Appia querantur, taceant de curia? Et quando ab eo spirante forum potuisset defendi: cuius non restiterit cadaueri curia.

Ratio alia, Apostrophe ornata, & ironia amplificata. Mortuus furorem vix potuistis cōpescere, quomodo viuis compescetis.

Amplificatio rationis ab ironia.

Excitate excitate ipsum si potestis à mortuis, frangetis impetum viuis, cuius vix sustinetis furias sepulti: Nisi vero sustinuistis eos, qui cum facibus ad curiam cucurrerunt, cum falcibus ac rastris cum gladijs toto foro volitarunt.

Cœdi vidistis populum Romanum, concionem gladijs disturbari, cum audiretur silentio M. Cœlius Tribunus plebis, vir fortissimus, & in suscepta causa firmissimus, & bonorum voluntati & autoritati senatus deditus, & in hac Milonis siue inuidia siue fortuna singulari, diuina & incredibili fide.

Verba Imitationis.

Nam vt Philosophiæ solum, & partium eius omnium in conseruando & illustrando cœlestis doctrinæ negotio beneficium ostendamus, cui potest obscurum esse, quam portentosum vocabulorum chaos, & quam inextricabilis horum tela ac labyrinthus seculis superioribus Theologiam sacrosanctam linguarum atq; artium præsidio nudatam inuoluerit, cum de processu personarum diuinitatis per gradus, eiusq; emanationibus, conuersionibus, reductionibus, reduplicationibus, de influxu, affluxu, operatione, repletionem, & hisce portentis ac rebus similibus impiè magis quam sobriè disputaretur: quæ linguarum postea beneficio pristino nitore restituta, & sub lucem ex imis quasi tenebris reuocata, nostra demum ætate splendidissimè reuixerunt & refluoruerunt?

Neq; vero minor scripturæ sacre laceratio, apud imperitos plerosq; artium interpretes extitit, qui dicendi & argumentandi artificij plane ignari, in locorū seu capitum vtilissimorum explicatione, certam & veram propositionem nusquam excerpabant, nec quo modo ad statum vnum argumenta orationis omnia accommodarentur, perspiciebant. Quo factum omnino, vt putida & inutilis horum enarratio, à vera & genuina auctoris sententia, toto nonnunquam cœlo aberret: Atq; huic tristi malo, operosa dicendi ars & professio, præclarissimè omnium medebatur, quæ cum præter alia nobilissima sui munera, disponendi accuratam rationem profiteatur, face velut explicandis scriptis adhibita, arte atq; studio obseruat singula, & quale auctoris consilium, quæ mens sit eius & intentio, & quibus sese ipse partibus conuenienter explanet, vel cum causam exorditur, aut proponit, vel confirmat aut confutat, varijsq; motuum & affectuum speciebus perturbat atq; pugnat. Et ne falsò quispiam de hisce dicendi solum artibus sermonem nobis institutum

N

esse

*Confirmatio rationis
à loco partium philo-
sophiæ per merissimum
tractata.*

*2. opus dicendi & ar-
gumentandi.*

Verba Imitationis.

esse existimet, ad genera philosophiæ alia animum cōuertat, & quantum ex his præsidij, ad doctrinæ cœlestis accuratam explicationem petatur, tacita ipse secum ratiocinatione discutiat. Moralis philosophia flectendis & formandis hominum moribus accommodata, maximam legis diuinæ partem illustrat. Pars vero ista, quæ naturam explicat, & mirabiles eius effectiones, rerum ortus & interitus, vires ac mutationes indagat, euidenter plerisq; doctrinæ christianæ capitibus lucem affert. De nobilissima astrorum sciētia, in qua cœlestium motuum varietas, periodi analogia & perpetuitas, quid dicam? quæ præterquam quod historiarum illustrem veritatem, ad posteritatis nunquam abolendam memoriam tueatur, admirabilem ea vim, in locis plerisq; doctrinæ cœlestis obscurioribus habet. Et ne longe exempla petamus, in historia passionis Saluatoris & liberatoris nostri ipsa, de horis dicitur, quas Græci *καίριμας* appellāt, filium Dei falsa sententia ab iniquo iudice damnatum, ad supplicij locum eductum, & exortas tenebras circa horam sextam, & durasse ad horam nonam, atq; tum generis humani redemptorem & liberatorem Christum, in ligno pendentem, & totam peccati molem sentientem tristem querelam quæ longè nostram cogitationem & orationem superat edidisse. Demonstrat eadem doctrina, Eclipsin solis factam in filij Dei passione, plane miraculosā fuisse. Nam cum in medio mense lunari, legis præscripto, pascha Iudæi celebrarint, & tum solis Eclipsis facta sit, nullum est dubium, fuisse eam contra omnem naturæ ordinem. Certum est enim ex doctrinæ Astronomicæ fontibus, solis obscurationem fieri non posse in oppositione, quando in semicirculo luminaria disident. Sed tum maximè lunam defectum pati, si vel circa *σηνέσμευς* vel *ἀναβιβάζοντα* vel *καταβιβάζοντα* ita opponatur soli, vt intermedia terra excipiat radios so-

Verba Imitationis.

os solares, quo minus luna, omni vel aliqua parte irradietur, cum Lunæ corpus Vitellionis sententia partim rarum & *diaphanes*, partim vero densum & opacum sit, plures tamen partes opacas quam *diaphanes* habeat, unde fit, vt maximè solis lumine fulgeat. Hæc igitur afferenda fuerunt omnia, & coniunctim ad extirpandas terrarum harum Idolomanias, & abolendos in totum pontificum stabilitos malitia errores, fideli docentium omnium cura atq; opera expedienda. Quo plane consilio artium variarum exercitia, in scholis instituta sunt, vt quamuis pleræq; multiplicem in vita ciuili vsum habeant, præcipuè tamen ad doctrinam piæ & sanctæ ecclesiæ illustrandam conducant. Nec enim temerè Dei irrisor ille & hominum flagellator Iulianus scholas de medio regno excindi, literas exturbari, oratores eijci, ingenti ille boatu ac fremitu mandauerat, ratus omnino firmissimum in his, ampliandæ & stabiliendæ cœlestis doctrinæ præsidium collocari. Pennis inquit proprijs vulneramur, ex nostris enim armati illi conscriptionibus, bella contra nos suscipiunt. Terras vero infelices illas, quæ monstrum, quod cœlum reformidabat, mundus expuebat, non videre solum & tolerare, sed fouere etiam atq; alere coactæ fuerunt. Nostras fœlices & beatas, quæ numinis iam pridem expertæ benignitatem, virtutē aliquando tam illustrem illam, sub lucem exceperunt, per quam ille cœli & mundi dominus, domicilij amplissimi huius architectus DEVS, sub fatali ipsa rerum concussione, efferato nostro sæculo, in quo ingratitude hominum religioni tristes confusiones, & optimarum artium studijs extremum interitum denunciat, rem maximè omnium salutarem & vtilem expediri atq; geri voluit, quæ profecto tanta est, vt si cum rebus gestis maiorum fructu & magnitudine conferre eam velim, amens sim.

N 2

FORMA

FORMA ENTHY-
MEMATIS DILATANDI
ORATORIA, IN EFFIGVRATIONE
EXORDII NOSTRA, AD CICERONIANI
Exordij pro P. Quintio Imitationem conficta, & membro-
rum ac periodorum accurata serie elongata, in vsum
perorandi ciuilem & publi-
cum.

EXordium Quintianum (cuius poterit ad imitandum in
partibus orationis omnibus locus esse, quoties incom-
moda multa, amoris & beneuolentiæ gratia exponenda e-
runt) Enthymemate, quod est antecedente & consequente
constat, in hunc modum:

Dicturus pro Publico Quintio, duas res pertimesco, Hor-
tensij Oratoris eloquentiam, & Næuij aduersarij gratiam.

Quapropter te Aquili iudex oro, vt mente meliori, &
animo æquiori causam nostram audias.

Imitatio nostra eadem Enthymematica.

Subiturus scholasticam gubernationem, pertimesco &
muneris grauitatem, & virium ipsarum imbecillitatem.

Quapropter Dei initio, & vestrum deinde viri amplissimi
auxilium & præsidium imploro.

Cæterum partis vtriusq; Antecedentis & Consequentis
Tractatio, cum eximia, & ipsa quidem dilatatione ita videat-
ur foecunda, vt sola poterit exemplo illustri esse amplifican-
di Enthymematis, membrorum ac periodorum in partibus
singulis subsecutionem, ad foelicissimam dilatandi Enthymematis
imitationem, ordine primum ex ipsa arte in pagel-
la sequenti, studio nostro delineauimus.

Antece-



Antecedens Enthymematis, per membra & partes dilatatum.

Antecedens Enthymematis. Duæ res contra nos faciunt, summa gratia & eloquentia.

Ratio Antecedentis. Nam plane commoueor in hac causa, Næuij gratia, & Hortensij eloquentia.

Amplificatio Antecedentis ab Antithesi, cuius propositio: At vero contrà, nostra fortuna & conditio in hac agenda causa, iniquior est.

Ratio amplificationis prima. Ego enim, qui parum vsu & ingenio possum, cum patrono disertissimo comparor, & Quintius pauperior, cum aduersario gratiosissimo confligit.

Ratio amplificationis secunda. Præterea vix satis habere temporis potui, propter M. Iunium absentem, ad meditando de causa.

Amplificatio leuis alia, ex ratione Amplificationis præcedenti enata, cuius propositio: Ita in hac causa, maxime destituor eo, quo in causis alijs soleo adiuuari.

Ratio Amplificationis. Diligentiam enim si quando ingenio minus potui, adhibere in causis alijs solitus fui.

Consequens Enthymematis, per membra & partes dilatatum.

Consequens Enthymematis. Quæ quò plura sunt, rogo Aquili iudex, vt nos æquiori animo audias.

Ratio consequentis. Nam si tu iudex, causæ desereres veritatem, planè nihil erit quod nobis possit opitulari.

Amplificatio à correctione, cuius correctionis propositio: Nec tamen hoc tantopere oro, quod fidei tuæ diffidam, sed quod grauia in hac causa pericula & incommoda metuam.

Ratio Amplificationis vel correctionis prima. Decernitur enim primò in hoc iudicio, de omnibus fortunis Quintij. Secunda ratio. Deinde habet aduersarios Quintius potentissimos, qui Næuium defendunt.

Amplificatio rationis secundæ, à correctione, cuius propositio: si modo hoc est defendere, iniquo iudicio opprimere.

Ratio correctionis. Nam quid indignius, quàm me defendentem Quintium, dicere causam priori loco contra Hortensium eloquentissimum.

Confirmatio rationis. Fit enim inde, ut tempus illis accusandi tum detur, cum nobis omnis potestas adempta est, illorum impetus vitandi, & nobis postea nullus medicinæ locus sit, si illi crimen aliquod falsum obiecerunt.

Amplificatio alia, à causa ipsa horum incommodorum, cuius pro-

Verba Ciceronis.

Antecedens Enthymematis.

Quæ res in ciuitate duæ plurimum possunt, hæc contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, summa gratia & eloquentia, quarum alteram C. Aquili vereor, alteram metuo.

Ratio Antecedentis.

Eloquentia Q. Hortensij ne me dicendo impediatur non nihil commoueor, gratia S. Næuij, ne P. Quintio noceat, id vero non mediocriter pertimesco.

Amplificatio Antecedentis ab Antithesi, cuius propositio.

Neq; hoc tantopere querendum videretur, hæc summa in illis esse, si in nobis essent saltem mediocria.

Ratio Amplificationis prima.

Verum ita se res habet, ut ego, qui neq; usu satis & ingenio parum possum, cū patrono disertissimo comparer. P. Quintius, cui tenues opes, nullæ facultates, exiguæ amicorum copię sunt, cum aduersario gratiosissimo contendat. Illud

ius propositio: Id vero totum prætoris accidit iniquitate.

Rationes Amplificationis: Prætor enim agi prius voluit de vadimonio deserto, quam de debito ex societate contracto. Deinde iudicio male constituto, Quintium prius causam dicere, quam verbum accusatoris vllum audierit: Idque totum in gratiam & potentiam eorum, qui Næuij causam fouent.

Conclusio seu consequentis repetitio. Quæ cum ita sint, oro te C. Aquili & vos, qui in iudicio adestis, vt causæ æquitatem consideretis.

Verba Imitationis.

Amplam vti omnes intelligitis prouinciam subeo, in qua muneris plane grauitatem pertimesco, & virium harum imbecillitatem dolens prospicio.

Nam sub onere partium harum, quo scholæ decus sustinendum, leges seruandæ, iura describenda, fidei nostræ commissa recordanda sunt, ne succumbam turpiter, omnino metuendum erit, virium autem defectus summus, & iudicij deploranda inopia, ne quod est reliquum in me famæ & existimationis auferat, & nomini honesto nostro grauem infamiam accersat, id vero maximopere decet perhorrescere.

Atq; hæc eo nobis magis expendenda, quò reliquorum qui gesserunt magistratus, maior fuit vis & autoritas.

Nam omnes hi, quoscunq; officio suo magnificè antea functos videtis, ad summam muneris dignitatem, summam quoq; ingenij vim, doctrinæ abundantem copiam, rerum commendatam experientiam, & orationis mirificam facultatem attulerunt. Ego qui afflictæ fortuna, oratione impedita, iudicio con-

Antecedens Enthymematis.

Ratio Antecedentis.

Amplificatio Antecedentis ab Antithesi cuius propositio.

Ratio amplificationis primæ.

Verba Ciceronis.

*Ratio Amplificationis
secunda.*

Illud quoq; nobis accedit incommodum, quod M. Iunius, qui hanc aliquoties apud te egit, homo & in alijs causis exercitatus, & in hac multum & sæpe versatus, hoc tempore abest, noua legatione impeditus, & ad me ventum est, qui vt summa haberem cætera, temporis quidem certe vix fatis habui, vt rem tantam, tot controuersijs implicatam possem cognoscere.

*Amplificatio leuis a-
lia ex precedenti ra-
tione enata, cuius pro-
positio.*

Ita quod mihi consuevit in cæteris causis esse adiumento, id quoq; in hac causa deficit.

Ratio amplificationis.

Nam quo minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparauit, quæ tanta sit nisi tempus & spatium datum sit, intelligi non potest.

*Consequens Enthymes-
matis.*

Quæ quo plura sunt C. Aquili, eo te & hos, qui tibi in consilio adsunt meliori mente nostra verba audire oportebit, vt multis incommodis, veritas debilitata, tandem æquitate talium virorum recreetur.

Quod

Verba Imitationis.

turbato, si cum his, qui gesserunt magistratus, consulendo & respondendo confligam, viribus destitutus illis, quibus fulciri gubernationis partes oportebat, omni dignitatis ratione, & ipsa quoq; (quæ apud omnes valet plurimum) autoritate excidam necesse erit.

Accedit illud etiam, quod in scholis publicis per annos non paucos docendo fatigatus, inter varios consiliorum euentus, dubios rerum casus, graues discipulorum motus, lenitatis semper & misericordiæ artes, quas me natura ipsa docuit, egi. Illam verò grauitatis, & seueritatis personam publicam, neq; gessi neq; appetiui.

Quo fit omnino, vt quod apud efferatam iuuentutem, in disciplinæ perturbatione, morum laxatione, consulendi & respondendi difficultate, subsidio esse debebat, id quoq; omnes in me possint hoc tempore ad vnum desiderare.

Nam quoniam prudentia, & rerum magis vsu illustri, quam vllis doctrinæ firmioris præsidijs, vitæ sæpe ciuilibus munera geruntur, eò nunc verius, sub amplissimo gubernationis huius onere, quam simus negotijs administrandis, consilijs dandis, sententijs ferendis, votis colligendis solertes atq; habiles, vel ex ipso muneris sæpius gesti vsu ostendendum nobis foret.

Quæ quò plura & maiora sunt, eò studiosius Deū orare oportebit, vt mente illustrata, & viribus excitatis, ipsæ scholæ præsidem agere, consilia iuuare, successus largiri, valetudinem fulcire, conatibus adesse, clementissime ipse pro bonitate & misericordia ineffabili sua dignetur. Quod si quid etiam post religionem
O sanctum,

*Ratio Amplificationis
secunda.*

*Amplificatio leuis a-
lia, ex præcedenti ra-
tione enata, cuius pro-
positio.*

Ratio Amplificationis

*Consequens Enthyme-
matis.*

Verba Ciceronis.

Ratio consequentis.

Quod si tu iudex nullo praesidio fuisse videbere contra vim & gratiam solitudini atq; inopiae, si apud hoc consilium ex opibus non ex veritate causa pendetur, profecto nihil est tam sanctum neq; syncerum in ciuitate, nihil est quod humilitatem cuiusquam grauitas & virtus iudicis consoletur. Certe aut apud te & eos qui tibi adsunt veritas valebit, aut ex hoc loco repulsa vi & gratia locum vbi consistat reperire non poterit.

Amplificatio à Correctione, usus propositio.

Non eò dico C. Aquili, quod mihi veniat in dubium tua fides & constantia, aut quod non in ijs, quos tibi aduocasti, viris electissimis ciuitatis spem summam habere P. Quintius debeat.

*Ratio Amplificationis
vel correctionis prima.*

Quid ergo est? primum magnitudo periculi summo timore hominem afficit, quod vno iudicio de fortunis omnibus decernit. Idque dum cogitat, non minus saepe ei venit in mentem potestatis quam aequitatis tuae, propterea quod omnes quorum in alterius manu vita posita est, saepius illud cogitent, quid possit is cuius in ditione & potestate sunt, quam quid debeat facere.

Ratio correctionis secunda.

Deinde habet aduersarios P. Quintius verbo S. Nauium, reuera huiusce aetatis homines

Verba Imitationis.

sanctam, & numinis diuini imploratam opem, bonorum valet vox & consensio, vestrum quoq; viri Amplissimi praesidium implorandum erit, vt multis periculis gubernatio nostra debilitata, tum vero iudicij inopia penè tota euersa atq; fracta, virorum solum principum graui autoritate recreetur.

Quod si ne nunc quidem ferociente aetate, moribus praesentibus, sub negotiorum graui administratione, & virium omnium summa debilitate, dignam studijs consensionem fouebitis, si non vna mecum de communi iuuentutis salute consilio decernetis, profecto nulla spes, nullus mihi tuendi laudabiliter gradus, & subeundi graues gubernationis partes locus, esse hoc tempore reliquus potest. Certe aut praecclare instituta scholae forma interibit, aut vna mecum vestra per multos confirmata annos autoritas valebit.

Non eò dico viri Amplissimi, quod de vestra quaeparata fuit omnibus voluntate erga me eximia diffidam, sed quod grauia in muneris susceptione pericula & incommoda metuam.

Primo oneris magnitudo, molestiam creat animo penè insuperabilem. Permultum enim laborare magistratum oportet, vigilare, leges stabilire, bonos ornare, improbos castigare, ad decus hortari, à flagitio reuocare, adiumento in periculis, solatio in laboribus esse, multorum perpeti stultitiam, aliorum ferre petulantiam. O conditiones ciuitatum administrandarum miseras exclamat Cicero, in quibus diligentia plena est simultatum, negligentia vituperationum, vbi seueritas periculosa, liberalitas est ingrata.

Deinde vero habet temporū horum infelix gubernatio propter degeneratā penè in omnibus antiquam

O 2 virtutem

Ratio Consequentis.

Amplificatio à Correctione, cuius propositio

*Ratio Amplificationis
vel correctionis primae*

Ratio correctionis secundae.

Verba Ciceronis

mines disertissimos, fortissimos, ornatissimos nostræ ciuitatis, qui communi studio summis opibus S. Næuium defendunt.

Si id est defendere, cupiditati alterius obtemperare, quo is facilius, quem velit iniquo iudicio opprimere possit.

Nam quid hoc iniquius aut indignius C. Aquili dici aut commemorari potest? quàm me qui caput alterius famam fortunamq; defendam, priori loco causam dicere. Cum præfertim Q. Hortensius, qui hoc iudicio partes accusatoris obtinet contra me sit dicturus, cui summam copiam, facultatemq; dicendi, natura largita est.

Ita fit vt ego qui tela depellere, & vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, cum etiam telum aduersarius nullum iecerit, illis autem id tempus impugnandi detur, cum & vitandi illorum impetus potestas adempta nobis erit: Et si qua in re id quod parati sunt facere falsum crimen, quasi venenatum aliquod telum obiecerint, medicinæ faciendæ locus non erit.

Id accidit prætoris iniquitate & iniuria.

Primo quod contra omnium consuetudinem iudiciū prius de probro quam de re maluit fieri. Deinde quod ita cōstituit id ipsum iudicium,

*Amplificatio rationis
secunda à correctione
alia, cuius propositio.*

Ratio correctionis.

Confirmatio rationis.

*Amplificatio alia, à
causa horum incom-
modorum, cuius pro-
positio.*

*Rationes amplifica-
tionis multa.*

Verba Imitationis.

virtutem ferociores lasciuioreſq; ætatis petulantiffimæ mores.

Si mores dicendi ſint, qui labem, qui maculam, qui funeſtam ſæpe ſcholis cladem & internationem minitantur.

Nam quid poteſt ſub erudita & hac ſcholastica iuuentutis generoſiſſimæ congregatione eſſe vel turpius vel inhoneſtius, quàm ſunt tumultuantium in ſcholis publicis intempeſtium congreſſus, ferocientium graues motus, debacchantium nocturni ululatus, quibus non ſolum tenebras nomini iam pridem noſtro offundimus, verumetiam cædem, fatales pœnas, & graue humeris noſtris exitium attraximus.

Ita fit proſecto, vt quorum moderatione plane nos ſubleuari oportebat, horum ſæpe improbitate ſub ipſo gubernationis duriffimo onere opprimamur.

Id verò totum efferationum accidit peruerſitate qui medicinam ſuo ſcleri ſalutarem non admittunt, & ſæpe rudes ac teneros quos acceperunt animos inficiunt, & vnà ſecum illos ad turpiſſima flagitia abducunt.

Nam eſi hi, animo quidem honeſtiori conſtituti venenata ea mentis ſcabie initio carent, quoniam tamen animis eorum inſidiæ graues à petulantioribus tenduntur, temporis progreſſu blanditijs paulatim

*Amplificatio rationis
ſecunda à correctione
alia, cuius proſitio.*

Ratio correctionis.

Confirmatio rationis

*Amplificatio alia à
cauſa horum incom-
modorum, cuius pro-
ſitio.*

*Rationes amplificati-
onis multa.*

Verba Ciceronis.

iudicium, vt reus antequam verbum accusatoris audisset causam dicere cogeretur. Quod eorum gratia & potentia factum est, qui quasi sua res aut honos agatur, ita diligenter S. Næuij studio & cupiditati morem gerunt, & in eiusmodi rebus opes suas experiuntur in quibus quo plus propter virtutem nobilitatemq; possunt, eo minus quantum possint, debent ostendere.

Conclusio seu consequentis repetitio.

Cum tot tantisq; difficultatibus affectus atq; afflictus in tuam C. Aquili fidem, veritatem, misericordiam P. Quintius confugerit, cum adhuc ei propter vim aduersariorum, non ius par, non agendi potestas eadem, non magistratus æquus reperiri potuerit, cum ei summam per iniuriam omnia inimica atq; infesta fuerint. te C. Aquili, vosq; qui in consilio adestis orat atq; obsecrat, vt multis iniurijs iactatam atque agitaram æquitatem in hoc tandem loco consistere & confirmari patiamini.

Verba Imitationis.

occupantur, & voluptatis suavi capti dulcedine turpitudinis illecebris extremè tandem irretiuntur. Quod si hi leges etiam reuereri, magistratum colere, potestatibus & imperijs non minus quam cœlesti descriptioni, menti; diuinæ ac præpotenti Deo parere & obedire cœperint, non multo tamen postea intervallo, vel leui quadam nubecula offensi, omnem quem induerant amoris & reuerentiæ erga maiores affectum deponunt, & contra odium animis sceleratissimum concipiunt. Nec enim fretum, nec euripus vllus, tot motus, tantas & tam varias putatur habere agitationes, quot fluctus, quantas perturbationes, & quantas affectuum vices ac mutationes, teneriorum habet ratio ingeniorum. Casus interueniens vnus & sentia contra flagitium, non ad hominis arbitrium lata, sæpe perturbat omnia, & totam opinionem parua nonnunquam commutat aura, sæpe etiam vniuersam meritorum memoriam, vna rebus obiecta delet procella. Nihil est enim hominum animis incertius, nihil mortalium voluntatibus obscurius, nihil iuuentutis studijs fallacius, vt si quid officio ductus, siue mandes siue prohibeas quod ingratum esse videatur, nam apud bonos laudem, certam vero apud rebelles suspicionem, & tristem nominis deformationem certò quidem sperare possis atq; debeas.

Histantis circumseptus difficultatibus, cum ad vestram viri amplissimi fidem & autoritarem confugiam, cum impositum humeris onus multò esse viribus maius censeam, cum ne apud bonos quidem præfidium mihi constitutum intelligam, omnes vos, quotquot in consilio mihi adesse soletis, oro, vt me gubernationis graui pondere oppressum, consilio, subsidio, auxilio, voce, oratione, fide & autoritate leuetis.

DEFI-

Conclusio seu Consequentis repetitio.

DEFINITIONIS
DILATATAE EFFIGIES
ORATORIA, SVB EXEMPLO ADIE-
CTO BREVI AC VTILI PROPOSITA
ad Imitationem, eloquentiæ studiosis in
Academia Iulia.

Obedi-

Obedientiæ Ciuilis Definitio breuis &
Dialectica.

Obedientia, cultus est, diuinitus mandatus,
erga magistratum, in rebus corporalibus.

Obedientiæ ciuilis Definitio dilatata &
Oratoria.

*Exordium in Rei Definitionem, membris constās vul-
gatis suis.*

Propositio exordij: Vtile est moneri au-
ditores, quam obedientiam Christus intelli-
gat, cum dicat in Euangelio, Date Cæsari,
quæ sunt Cæsaris.

Ratio. Quemadmodum enim Iudæi, vt
crucifigeretur Christus, non vt obedirent,
clamabant, Regem non habemus nisi Cæsa-
rem, ita nostri hodie, vt opprimatur ecclesia,
& tollatur euangelium, docent & clamant,
Imperatori obediendum esse, & seditiosos,
contra magistratū, puniendos, iuxta dictum,
Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris.

Conclusio. In quo tamen loco, cum ma-
lè definiatur & accipiatur subditorum erga
magistratum obedientia, longè aliter de eius
Definitione auditores docendi & instruendi
erunt.

P

DEFI-

DEFINITIO IPSA, IN MEMBRIS DILATATA.

Amplificatio prima, primæ Definitionis partis, hoc est Generis, seu vocabuli Cultus, ducta ab Antithesi, eiusdemq; Antitheseos membri seu partibus.

Propositio prima partis Antitheseos.

EST vero subditorum erga magistratum civilem obedientia, inuentum non humanum, nec traditio humana, quale inuentum excogitatum sanctorum est inuocatio, Monachatus, dierum & ciborum delectus.

Ratio prima.

Nec enim de sanctorum cultu institutum diuinum vllum, nullum de monasticis votis mandatum, lex nulla, sanctio nulla, Humana hæc deliramenta sunt, solum ex scholis pontificijs ad turpem fœdi ventris curationem progenerata, quibus frustra sese coli, ipsa vox diuina & cœlestis pronuntiat.

Confirmatio Rationis prima eiusque expositio.

Itaq; præscripto in his certo, & Dei verbo mens destituta mortalium, temere fluctuat, & num secura atq; tuta ibi acquiescat, ipsa secum grauer perpendit & examinat. Vocem enim audit non hominis loquentis, sed Dei de cœlo tonantis: Iuxta consuetudinem terræ non facietis, & iuxta morem regionis non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis. Facietis iudicia mea, & præcepta mea obseruabitis & ambulabitis in eis.

Ratio secunda comparatione ornata.

Nec potest Monachus, conscientia libera docere, obedientiam Monasticam suam Deo placere, cum sit de conditione sua incertus, certitudinem suæ quam tractat artis, vel quolibet etiam opifice inferiori demonstrante.

Amplificatio à correctione.

Quanquam stulti sumus, qui magistratum cultum, qui legum obsequium, qui imperiorum titulum, cum ordinibus Monasticorum confictis, cum sanctorum inuocationibus vanis, cum tetris mundi deliri idolo-

idolomanijs conferamus, quos autoritas diuina nulla
fanxit, sed Pontificum scelerata manus inuexit, & in
hominum blandimentum, ad turpem faciendum
questum excogitauit.

Itaq; ea, quam ego mihi definiendam proposui,
sancta vbiq; habita obtemperatio, haud quaquam e-
rit ex hominum conficta & prognerata cerebello
traditio.

Verum cultus definitur ipsa, summus & præcipu-
us, à rerum summo moderatore Deo institutus, ad
decalogi pertinens seuerissimum mandatum, quo pa-
rentum honorem præcepit ille, vt vitam in terris lon-
gauam promereamur.

Vidit mens æterna & maiestas rerum infinita, cum
cultus primò (quibus honore ipse afficeretur) præfiri-
ret, & hos mortalibus in terris ordinaret ac præscri-
beret, permulta: adhærescere grauem hominum ani-
mis labem, & maculam penè inuitabilem à prima
progneratam natiuitate, qua contra decus & virtu-
tis grauem stimulum ferremur: Nec quid tamen vicio
turpius, scelere immanius, libidine foedius esse, Multa
etiam alia vidit, sed illud maximè, repagulis fractis, &
habenis laxatis, dissolutione & libertate, hominum
animos gaudere Itaq; viciorum emendatricem legem,
& petulantia ac libidinis moderatorem, tum vero ef-
frenatae libertatis correctorem, magistratum ipse de-
dit, & vt loco suo verè atq; seriò à mortalibus colere-
tur, toties ipse præscripto verbo mandauit. Voluit
maiestas alma, post allatam terris salutem, sui apud
nos relinqui graue desiderium, qui sordes nostras tu-
lisset, qui nostrum in se squalorem conuertisset, qui lu-
em, qui scelera expiasset, nosq; miseros nulla siue ho-
minum, siue angelorum ope munitos, ab ipso suo æ-
terno patre deprecatus esset, voluit eadem maiestas,
beneficia diuina illa seriò agnosci, & se honore ideo
per veram beneficiorum diuinorum celebrationem co-
li. Cumq; vnus ille, post agnitionem sui veram, vitæ

*Conclusio prima par-
tis Antitheseos*

*Propositio secunda
partis Antitheseos*

*Ratio prima à scri-
ptura testimonijs, An-
tecedentium loco or-
nata.*

etiam innocentiam & morum integritatem, summum sui cultum agnosceret, & hunc propositis vitæ huius præmijs ornaret, & per magistratum ipsum, qui suas in his terris vices obiret atq; gereret, verè ac seriò à mortalibus postularet, ipse potestatum quoq; & superiorum in mundo, sanctam venerationem non præcepit solum, sed cultus etiam divini & excellentis appellatione atq; nomine eam insigniuit. Nec enim frustra, possessor terræ, cœli dominus. Potestatibus omnis anima subdita sit. Qui resistit potestati, Dei resistit ordinationi, Necessariò subditi estote, non propter iram solum, sed & propter conscientiam. Neq; frustra idem Dominus, Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices, Neq; etiam frustra illud, quo maiorum sanctam venerationem, eorum à quibus vitæ tulisti principia parentum dulcissimorum adæquat cultui idem Dominus cœli & terræ, vt quam charitatem genitori debes propter nutritionem, eandem erga defendentem magistratum pietatem propter eximium conseruationis officium exerceas.

*Ratio secunda ab effectibus inobedientia, Syllogismo tractata
Maior.*

Quod nisi sensus resideret certus venerationis huius apud mentem diuinam, quod nisi ea se obtemperatione coli, & se contrà grauitè ea sprete lædi animaduerneret, an vero inexhausta bonitas, & scelerum indulgens parens DEVS, pœnas ita graues, funestas, acerbis immitteret, & dicto inobedientes, mitis ipse atq; clemens læderet, perderet, affligeret, neq; vitæ solum bonis, sed & cœlo ipso atq; omni luce priuaret? Ad has extremas & inimicissimas vias ita cupide misericordiarum parens decurreret? &c.

Dilatationem Maioris huius in membris loci tractandi communis annotauimus.

Minor.

Verum non obtemperantium impietatem, ipse horribili dolore, & cruciatu perpetuo, tū vero, omni vitæ atq; lucis priuatione punit. Nam & liberos si qui patris vocem non audiant, de medio iubet auferri, & eos ipsos,

eos ipsos, si vel patri maledixerint, morte mulctari. Nec enim digni misericordia, qui immisericordem ipsi & hostilem erga vitæ genitores animum concipiunt. Solonem illum, summum Athenis virum, cum sceleribus pœnas statuisset, pœnam illis, qui patrem morte necassent, plane nullam statuissè historiæ commemorant, eò quod tetrum facinus tale, nunquam animo fingi, nedum à quoquam mortalium committi temere posse videretur. Itaq; Archelaus princeps, eos qui maiorum iussa, qui parentum monita spreuissent, parricidis similes putauit, & hos seuerè atq; grauitè apud suos puniri, verè ille atq; seriò mandauit. Immorigeros vero, & in magistratum summum Dei vices tenentè petulantes, pœna ferè non minori persequitur cœlestis ultio. Nam & Rorach & Dathan & Abiran, cum & iussa spernerent & mandata Mosis imperantis superbè atq; temerè abijcerent, viuos terra absorbet, & absorptos vna cum liberis eorum & coniugibus, infernus tristis & insatiabilis excipit. Obmurmurauerant non solum illi, ex Dei præpotentis iussu omnia ordinanti Moisi, sed cum accedere iussi fuissent, parere temere detrectauerant, superbia moti & impietate. Itaq; in hoc inquit Moises scietis, quod dominus misit me, vt facerem vniuersa quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim si consueta hominum morte interierint, & visitauerit eos plaga, qua & cæteri visitari solent, non misit me dominus, sin autem nouam rem fecerit Dominus, & aperiens terra os suum deglutiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent, descendentq; videntes in infernum, scietis quod blasphemauerint dominum. Confestim autem vt cessauit loqui Moses, dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis & vniuersa substantia eorum. Descenderunt viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.

Dilatationē Minoris, huius,
loco alio annotauimus.

P 3

Quamo-

Ratio tertia ab Effectus obedientia.

Propositio Amplificationis secunda.

Ratio.

Conclusio generis, hoc est prima Definitionis partis.

Propositio prima partis Antitheseos.

*Ratio.
Propositio alterius partis Antitheseos.*

Confirmatio Rationis.

Conclusio secunda Definitionis partis.

Propositio postrema Definitionis partis.

Quamobrem habet etiam hæc obedientia, vna cum alijs multis, promissionem omnium corporalium bonorum, sicut in præcepto quarto scriptum est: Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.

Amplificatio Generis, hoc est, prima Definitionis partis, secunda, à Digressionem vel Reprehensione.

Confundantur igitur primo aduersarij hæretici & seditiosi, qui doctrinam de obedientia damnant, vt sunt Anabaptistæ, qui dum abijciunt obedientiam, & omnes magistratus, accusant euangelium seditionis.

Nam quid aliud est Euangelij fructus tollere, quam seditionis Euangelium accusare. Deinde Iudæi interrogantes in euangelio. Num liceat dare Cæsari census. Quod ita verum est, vt Deo primum obediat, sicut doceri loco suo debet.

Itaq; sit nobis obedientia ciuilibus, non figmentum humanum, vel traditio humana quædam, sed cultus summus, diuinitus mandatus.

Amplificatio partis secunda Definitionis, hoc est, Differentia, ducta itidem ab Antithesi, eiusq; partibus.

Nec quidem cultus, vel obedientia erga Deum.

Nam differunt longissimè Deus & Magistratus.

Sed erga Dei vicarium, magistratum ipsum.

Nam vt præfectos habet regionum & urbium Imperator, ita constituit Deus ipse vicarios suos magistratus.

Sic enim Rom. 13. scriptum est, Magistratus minister est Dei, tibi in bonum &c. Ieremiæ 25. Adducam seruum meum Nabuchodonosar super terram istam. Atq; hac de causa, Magistratus in scripturis Dijs nominantur. Exod. 22. Dijs non detrahes. & Psal. 82. Ego dixi Dijs estis, & filij excelsi omnes.

Est igitur ciuilibus obedientia, obedientia erga Dei vicarium, à Deo ipso institutum.

Tractatio postrema Definitionis partis, in rebus scilicet corporalibus.

In rebus intellige corporalibus.

Subie-

Subiecta sunt enim Magistratui modo quodam suo corpora nostra & res nostræ.

Sic enim 1. Reg. 8. scribitur. Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis, Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietq; sibi equites & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos & centuriones & aratores agrorum suorum, & messorum segetum, & fabros armorum & curruum suorum. Filias quoq; vestras, faciet sibi vnguentarias, & focarias & panificas. Et in Euangelio, Date Cæsari quæ sunt Cæsaris. Quod est dabitis Cæsari non quæ sunt Dei, vt est confessio libera, & vt sunt bona scholarum & Ecclesiarum, sed dabitis tributum quod est Cæsaris.

Amplificatio postrema Definitionis partis prima à Digressione vel Reprehensione.

Itaq; si qui bona rapiunt ecclesiæ, & vel ad Remp. vel ad priuatos vsus transferunt, hi quod Dei est dant Cæsari, imo neq; Deo neq; Cæsari. Et sunt re ipsa sacrilegi, iudicium sibi manducantes & bibentes. Quamobrem recte inquit loco isto Christus, Ea quæ Cæsaris sunt, Cæsari danda esse.

Amplificatio secunda postrema Definitionis partis, ab occupatione, et usq; solutione.

Verum quæri commode hoc in loco solet, cum tributum Magistratui debeatur, quid agendum subditis, vbi iniquum exegerit, aut vi etiam bona priuatorum eripuerit. Ad quod respondebitur, aut obediendum omnino, & ferendam crucem, cum sit illicita omnis vindicta priuata, aut certè ad Magistratum superiorem prouocandum propter vindictam publicam, sicut Paulus flagellandus ad Cæsarem prouocat, & ciuem se Romanum asserit, Actorum 4. Quod si vero vis vxori & liberis inferatur, erit licita defensio. Defensio enim contra notoriam iniuriam, est vindicta publica. Quo dicta pertinent vulgata: Vim vi licet repellere. Et ius naturæ est ius diuinum &c.

Ampli-

Ratio.

Confirmatio Rationis à scriptura testimonio.

*Definitio obedientia
Deo debita, opposita
obedientia civili ad
Amplificationem.
Prima pars definitio-
nis.
Secunda pars Defini-
tionis, Amplificata.*

*Tertia pars Defini-
tionis, Amplificata.*

*Amplificatio postrema est ultima, in totam premissam civilis
obedientia Definitionem, ducta ab Antithesi seu collatione
obedientia eius, qua debetur Deo, cuius definitio ex An-
tithesi hoc in loco propter solam Amplificationem
additur.*

Discernatur itaq; Magistratus obedientia, ab
obedientia quæ debetur Deo.

Nam & hæc est mandata literis diuinis, sicut scriptū
est, Dominum Deum tuum timebis, item Hunc audies,

In tabula non secunda, quæ longe cedit primæ ta-
bulæ, sicut scriptum est, Maledictus omnis qui confi-
dit in homine, & oportet Deo magis obedire quam
hominibus.

Sed in prima, in qua mandatur cognitio Dei per
verbum, vt cum dicitur. Ego sum Dominus Deus tu-
us, qui eduxi te ex terra Aegypti.

In rebus ad gloriam Dei, & salutem animarum
pertinentibus, non ad proximum aut Cæsarem. Vnde
Christus, Date Deo, quæ Dei sunt, Quod est, discas e-
ius voluntatem ex scripturis, non ex Cæsare, aut legi-
bus eius, & postea redde eam obedientiam Deo, quæ
in scripturis, non in Cæsaris legibus continetur, hoc est
eam obedientiam, quæ est præcepti primi, vt veram
fidem, Timorem, Dilectionem, præcepti secundi, verā
confessionem, in cruce patientiam, veram doctrinam,
orationem. Itaq; recte Date Deo quæ sunt Dei. Et Ma-
lachia 3. In quo configim9 te, in decim9 & primitijs. &c.
Ac si dicat, Leuitis & Sacerdotibus, vel minimum,
vel nihil etiam contribuitis, Itaq; maledicam vobis,
vt ipsi nihil habeatis.

Amplificatio veriusq; Definitionis obedientie.

In hac igitur parte Deo magis obediendum, quam
hominibus.

Cedit enim primæ tabulæ secunda, velut cedunt
Cæremoniæ rursus tabulæ secundæ &c.


F I N I S,

37 $\frac{13}{K, 8}$

AB: 37 $\frac{13}{K, 8}$

X 1986550





OBSERVATIO-
NES ORATORIAE, AD
CICERONIS DILATATAM COPI-
am repertæ, & exemplis adiectis
imitationis, indicendi vsum civilem &
ecclesiasticum illustra-
tæ.

Autore
HARTVICO SMIDESTETO LV-
neburgensi, Oratoria in Julia Academia
professore.



HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XCIII.

